



...dign...
...ola: rap...
...bonis op...
...me ab oī p...
...ellum s...
...ad eritū aīe m...
...quasi a...
...prima refuge...



admitte quærimoniam meam, et ex tua promissione
 verum celestem instrues, os loquens mihi,
 contradicere, aut resistere neque
 fur in conspectum tuum supple
 dures tuas perueniat. libera
 um recepsisti, ab omni periculo, quod
 is, saluum seruas, et incolumem.

III. IIII.

Quæstabunt labia mea
 asserueris me iustificationem
 pronuntiabit lingua mea
 suum: quia

animi promissio, ut do
 me Domine, et verbi
 in explic doctrinam
 abra que supra fontis
 non erit certe vllum
 is benefi is Dei contic
 m, nisi didicisti iusticias Dei,
 osuo. am

VI. VII.
 at manus tua vt saluet me: quo
 andata tua elegi.

Quare Deus inuocandus. Vt animo, et cogitatione do
 strinam celestem comprehendere, et pure, ac sincere alijs ex
 plicare possim, subblata voce clamorem ad te edo. Quare tueri me
 et defende: vt de tuorum decretorum prescriptionibus viam
 et mores gubernare queam.

III. IIII.

Præueni in immaturitate &
 maui: quia in verba tua superpera
 Præuenerunt oculi mei ad re
 culo, vt meditarer eloquia tua.

Quo ardore animi, que est fides, a circumstantia
 ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quiritat
 præuerto, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo ver
 nens. Nondum cum vaga celo sidera fulgens aurora fu
 stulum relinquo, vt mediter verbum tuum: deq; tuis m
 ad curæ me commisso sermone habeam.

V.

Vocem meam audi secundum
 fericordiam tuam Domine: & secun
 dum iudicium tuum viuifica me

Cuius fiducia orandum, non videlicet vllius vi
 meriti, quod ab opibus nostræ nature proficisci potest.
 tum misericordie, et clem
 ta peccata, inquit ambr
 implorantis tuam n
 tam mihi hanc quam
 ex hominibus

Handwritten text in a Gothic script, likely a continuation of the Latin text or a commentary. It is partially obscured by tape and damage to the parchment.

Affertio sane doctrinae

De

VERA DEITA.

TE DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI,

Recentiorum Photinianorum blasphemis opposita

&

DISPUTATIONIS ORDINARIAE

loco, sub auspicijs Magni illius DEI, de cujus gloria
agitur, in inclytâ Academia VVITTEBER-
GENSI publicè proposita.

AUCTORE ET PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUINO

SS. Theol. Doctore ac Professore, Ecclesiæ
Christi ibidem Pastore ac Superintendente;

RESPONDENTE

M. PAULO MULLERO,

VVittebergensi.

a. d. 22. Octob. horis & loco solitis.

VVittebergæ, Typis Iohan. Gormanni, An. 1613.

VERBA DICTA

ET DOMINI NOSTRI

IESU CHRISTI

DISPUTATIONIS ORDINARIE

FREDERICO BALDUINO

...id obsequi...
...es me...
...qui...
...de...
...qui...
...de...
...qui...





THESES DE VERA DEITATE DO- MINI NOSTRI JESU CHRISTI.

I.



Nter alios primitivæ Ecclesiæ *χριστιανισμοῦ* quos in fraudem & ignominiam nominis Christiani in publicum produxit Diabolus, fuit etiam *Photinus* ex minori Galatia oriundus, Sirmiensis Ecclesiæ Episcopus, qui circa annum Domini 345. floruit, & quoniam naturali quadam facundia & persuadendi facultate pollebat, multos ad opinionem suam attraxit, dicente *Sozomeno lib. 4. hist. Eccl. cap. 6.*

Photinus.

II.

Hunc *Photinum* vocat *Epiphanius* animalculum insectum ac impotens, ac lumbricum, sive terræ intestinum, pede scripturæ & Dei verbi veritate conculcatum, cujus hæresis, quæ ad exiguum tempus duraverit, jam dissipata sit. *Epiph. lib. 3. tom. 1. hæres. 71.*

III.

Utinam autem ita dissipata esset, ut unâ cum nomine totam ex hominum memoriâ sublatam dicere possemus: esset utiq; quod Ecclesiæ Christi in primis gratularemur: attamen, quemadmodum hydræ *Lerneæ*, capite uno relecto, mox alia renascuntur quamplurima; ita nostris, proh dolor temporibus, lumbrici istius tam numerosa soboles, ex infernali palude prodiit, ut universum ferè *Septentrionem* ea oneratum videas.

IV.

Non enim desunt homines furiosi mente, elati opinione, acuti *Epiph. de Aërio lingua, & armati labiis* in hac parte, ut pertrahant ad se ipsam mul- *har. 75. libr. 3. titu-*

A 2

tom. 1.



titudinem eorum, quibus semper pruriunt aures & laxa mens est: qui, postquam antiquam fidem de Jesu Christo unâ cum sexagenariis ejusdem confessoribus de ponte præcipitarunt, & sibi solis jus in scripturas divinas arrogantes cerebri sui vertiginosa somnia pro verbo Dei venditarunt, ne nimirum tam præclarum institutum eximio ex antiquitate Antistite & Patrono destituatur, ad hunc ipsum Photium, Patrem & Præceptorem suum provocare, deq; ejus patrocínio sibi tantum non gratulari non verentur.

V.

Facetur enim *Faustus Socinus in Resp. altera ad Andr. Volanum pag. 264.* se sententiæ Pauli Samosatani & Photini de filii Dei (ut vocat) existentia, adhærere. Et *Christoph. Ostorodus in præfat. germanica sua institutionis pag. 13.* cum doctrinam suam ab Arianismi suspicionem liberare vellet; *Quod doctrina nostra de Christo non sit Ariana, inquit, ex eo facile intelligi potest (idq; à lectore probè notari vult) quod Ariani in concilio Sirmiensi Photinum cum suo dogmate damnarunt; cujus doctrina quò ad Christum, ut ex historiis liquet, planè eadem est, quæ hodie nostra.* Hæc isti: quibus non immeritò acclamet aliquis illud Athanasij orat. 4. cont. Arian. ἡ ἀσέβεια γαλενίνος (Φωλίνος) σὺν ὑμῶν εἰς εἰς ἀπώλειαν.

Recentiores
Photiniani.

VI.

Sic ergò ex orco rediit terræ illud intestinum Photinus: in cujus doctrina de Christo, pro ut nunc sunt tempora, accuratiùs inquirere operæ pretium est, ut omnibus constet, quàm horrendæ lateant blasphemix iis in libris, qui non nisi pietatem meramq; sanctimoniam spirare videntur, eoq; nomine, non secus, ac præsentissimum toxicum melle vel saccaro incrustatum, incautiorebus insinuantur.

VII.

In genere verò Photinum in omnibus Pauli Samosatani secutum fuisse doctrinam annotavit Philastrius, ex quo D. Augustinus ista habet lib. de hæres. ad Quod Vult. hæres. 44. *Pauliani à Paulino Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverant: nec eum aliquid amplius, quàm hominem putant. Ista heresis aliquando cujusdam Artemonii fuit, sed cum defecisset, instaurata est à Paulo, & postea sic à Photino confirmata, ut Photiniani quàm Pauliani celebrius nuncupentur.*

Photini dog-
mata de filio
Dei.

Ex

149

IIX.

Ex quibus verbis colligitur, duo esse generalia capita doctrinae Photinianae de Filio Dei, quae ab hodiernis haereticis partim mordicus defenduntur, partim etiam novis blasphemis incrustantur, *primum Filium Dei nudum esse hominem*: ita n. docuit Photinus, teste *Socrate lib. 2. cap. 18.*

IX.

Idem docent hodierni eius discipuli: ideo divinam in Christo naturam non nisi figmentum nostrum nominant: & *arbitramur*, scribit Osterodus institut. cap. 6. §. 7. *quod essentia Filii Dei nihil aliud, quam hominis essentia fuerit, hoc est, verus homo, nec ullam aliam in ipso naturam vel essentiam scimus.*

X.

Quando ergo Catechesis Rackoviensis negat pag. 54. Dominum Jesum esse nudum hominem, captiosè agitur. Nudum enim hominem non opponunt divinae naturae, quasi illam etiam in Christo admittant, sed praerogativis peculiaribus, quibus Dominus Jesus prae aliis hominibus excellat. Ita enim distinguit Osterodus cap. 19. §. 16. *Phrasis haec: nudus homo, duplicem habere potest sensum, videlicet & ratione essentiae & ratione qualitatum. Ratione essentiae, fatemur, Christi essentiam (siquidem verus homo est) aliam esse non posse, quam humanam, sed ratione qualitatum, dicimus, Christum non esse nudum hominem, sed aliquid plus, quam ceteri homines omnes, praesertim à tempore exaltationis suae, &c.*

XI.

Altera Photini propositio fuit: *Filium Dei non habere sempiternam essentiam, sed à Maria fuisse natum in tempore*, annotante Sozomeno lib. 4. cap. 6. Hinc alia nascebantur emblemata, ut, quod dicebar, Christum esse *genitum* ex Spiritu sancto & à Maria: Verbum in patre esse in principio, sed non fuisse filium genitum à Patre: quae de filio dicuntur ante nativitatem ex Maria, praedictorio modo ad ipsum referenda esse, non velut filio existente, sed quod filius vocandus esset post Mariam, &c. De quibus omnibus vide *Epiphan. lib. 3. tom. 1. her. 71.*

XII.

Eadem modernorum Photinianorum doctrina est. Ideo audacter scribit Osterodus cap. 8. §. 1. *in tota scriptura nullum posse monstrari locum, in quo expresse scriptum sit, Christum, vel Dei filium fuisse ab aeterno;*

150
terno; & iterum §. 2. Quilibet videre potest, quod filius DEI prius non fuerit, quam à virgine Maria conceptus natusq; fuit: absit ut eum ab aeterno fuisse dicamus &c. Idem repetit Catech. Rackov, p. 59, & Andreas Fricius Modrevius syl. primæ tract. 3. scribit, λόγον non prius filium DEI appellatum esse, quam ex virgine nasceretur: & sicubi λόγος, antequam semen assumsisset. Abrahæ, ut Apostolus loquitur, vocetur filius DEI, respectu generationis futuræ sic vocatum esse, intelligendum est: Hoc est, quod olim Photinus dicebat, prædictorio modo.

XIII.

Duo ergo nobis in honorem Filij Dei contra istos hæreticos probanda sunt. 1. Dominum nostrum Jesum Christum non saltem humanam, verum etiam divinam habere naturam. 2. Filium DEI ab omni æternitate esse à DEO parte verum Deum genitum, non factum, consubstantialem Patri, quemadmodum Symbolum Nicensem loquitur.

XIV.

De his ut ea, quæ sana, quæ verbo Dei consona, quæ Ecclesiæ Christi salutaria sunt, proferamus; & blasphemis hæreticorum corruptelis ita occuramus, ut sanæ doctrinæ suæ inter nos immota constet veritas: faxit æternus Dei Filius, verus Deus, per quem castæ delitiæ nostræ sint scripturæ sanctæ, ne fallamur in eis, nec fallamus ex eis.

PRIMUM CAPUT.

De Naturâ divinâ Domini nostri Jesu Christi.

XV.

Antequam autem ad probationem divinæ in Christo naturæ accedamus, removenda sunt, quæ rationi hanc fidem nostram faciunt incredibilem. Duo enim opponit Osterodus cap. 6. quæ ipsum adduci non patiuntur, ut credat, Christum divinam habere naturam.

XVI.

Primum ait, manifestum esse, fieri non posse, ut in una persona duæ sint naturæ, quarum utraq; prædicetur de persona: inprimis autem contra omnem rationem esse, ut duo contraria de eadem persona dicantur, quemadmodum nos de uno eodemq; Christo dicimus, quod immortalis sit, & tamen revera mortuus. Si enim unus tantum esset Dei filius, fieri non posset, ut is unus & idem Dei filius in vivis fuerit; cum jam esset mortuus. Ex nostra ergo doctrina sequi duos esse Dei filios

157
filios, quorum unus in cruce mortuus, alter adhuc in vivis erat. Hæc Osterod.
cap. 6. §. 2. pag. 41. Idem habet Catech. Rackov. p. 55. 56.

XVII.

Sed, quod Christus olim Sadducæis, hoc nos istis hominibus
respondemus: Erratis, ignorantes scripturas & virtutem Dei Matth. 22, 29.
Nam duæ in Christo naturæ nõ sunt duæ per se subsistentes personæ,
ut Rackovienses imperitè putant, sed λόγος per se subsistens carnem
in se αὐτοπόσειταν fecit ἐνυπόσειτον, ὑποσεισαν ipsâ τῷ λόγῳ ὑποσεισῆ.
ut Damascenus loquitur lib. 3. orthod. fid. cap. 9. ita ut caro unâ cum λόγῳ
unum constituat ὑφιστάμενον, unum Christum, unum Dei Filium, ju-
cta illud, ἅμα σὰρξ, ἅμα λόγος σὰρξ Damasc. lib. 3. orth. fid. cap. 2.

XVIII.

De hoc Uno Dei filio rectè dicitur, quod mortuus & immor-
talis sit, uno tempore, sed non secundum idem: hoc in naturâ suâ di-
vina, illud in natura assumpta: idcirco Petrus de Christo immortalis
dicit, quod passus sit in carne, cum aliàs in naturâ suâ divinâ neq; pati
neq; mori possit 1. Petr. 4, 1. Sic autor vitæ (Deus nimirum immor-
talis) interfectus Actor. 3, 15, & Dominus gloriæ (in se ἀπαθής) cru-
cifixus esse scribitur. 1. Corinth. 2, 8.

XIX.

Notandum autem est, propriè loquendo, proprietates utriusq;
naturæ in Christo non esse sibi invicem contrarias, sed potius subal-
ternas: quia ipsæ naturæ sibi non sunt contrariæ, licet omnium ma-
ximè diversæ, aliàs in σύνθετον personam convenire non possent.

XX.

Inde factum, quod scriptura de uno Dei filio utriusque naturæ
proprietates prædicat, nimirum, passionem & impassibilitatem, mor-
talitatem & immortalitatem: Sed non secundum eandem naturam,
verum immortalitatem & impassibilitatem καὶ τὸ θεῖον; mortalita-
tem verò & passibilitatem κατὰ ἄνθρωπον. Quem scripturæ ductum
secuti de uno & eodem Dei filio absque divulsione naturarum eas-
dem prædicationes rectè usurpamus, nihil morati, quod ratio sibi re-
lictâ hoc mysterium percipere non potest.

XXI.

Instat Osterodus, rationem non modo non percipere, verum et-
jam manifestò falsum agnoscere, quod duæ sint in Christo naturæ.
Scien-

Sciendum itaque esse, quod etiam si multa sint credenda, quae in Scriptura habentur: licet omnem rationis captum excedant: ea tamen non pugnare cum ratione humana, seu rationem non testari de earum rerum falsitate. Man soll wissen / air, vnd eigentlich dafür halten / daß ob wol viel dinge / so vns zu glauben von nöthen sind / in Heiliger Schrift gefunden werden / welche allen Menschlichen verstand vbertreffen; so streiten sie doch nicht wider Menschliche Vernunft vnd Verstand / das ist / vnser Vernunft lehret vns nicht offentlich hell vnd klar / das sie solten falsch vnd nicht warhafftig sein, J. 3. p. 43.

XXII.

Responsio.

Ad hoc sciendum est: Rationem hominis duobus modis considerari, nimirum, vel in se, vel respectu accedentis corruptionis. Ratio in se considerata est speculum sapientiae divinae nobis concretatae, seu sanior Philosophia, cujus subjectum proprie non sunt res divinae; idcirco & regulas ejus superant, ut heterogenea; & per consequens: secundum rationem falsae dici non possunt, quia negato subjecto, negantur etiam accidentia. Sic unam esse essentiam in tribus personis, proprie loquendo non est falsum, secundum rationem, nec etiam verum, secundum praecipua rationis, sed transcendit rationem, cum omnibus suis regulis ac praecipis, Pertinet enim hujus axiomatis dijudicatio ad aliam sublimiorem scientiam, de cujus subjecto recta ratio sibi iudicium non arrogat.

XXIII.

Deinde, quod ad rationem corruptam, sibiq; relictam, argutia Osterodij semetipsam evertit. Nam quando ratio corrupta sibi iudicium sumit de rebus istis sublimioribus, tunc res illae non tantum rationem excedunt, verum etiam cum ratione pugnant, hoc est, a iudicio rationis falsitatis arguantur, alias non excederent. Ita, quod hominem oportet denuo nasci, excedebat rationem Nicodemi, ideò rationis suae argutis hanc ipsam doctrinam oppugnabat, quia à veritate alienam putabat, Joh. 3. Sadducæi doctrinam de Resurrectione mortuorum non intelligebant, & ex rationis suae iudicio Christo obloquebatur, quia impossibilem eam iudicabant, Matt. 22.

XXIV.

Utrumque tamen, & Regeneratio hominis & Resurrectio corporis, erat articulus fidei in Scriptura fundatus, licet ratio non saltem

163.
rem non a sequeretur, sed & manifestè repugnaret, ut à veritate alieno. Ita duas in Christo naturas ex scriptura defendit mens pia, contra omnem rationis cœcitatē, dissensum & pugnam.

XXV.

Duplici enim nomine excludimus Rationem à mysteriis divinis, 1. quatenus sensualem tantum petit demonstrationem: de divinis enim mysteriis ex Philosophorum regulis pronunciandum non est, & res divinæ sicut sunt supra sensum; ita etiam sunt supra sensualem demonstrationem. 2. quatenus sibi ipsi absurda & contradictiones fingit. Ex nostro enim ingenio fas non est definire, quænam sint contradictoria in Theologia, quæ secus: aliàs everterentur omnia mysteria regni Dei. Ideò Paulus Timotheum suum hortatur, ut fugiat *oppositiones falso nominata scientiæ*, 1. Timot. 6, 20. Et hæc de primo Hæretici objecto.

XXVI.

Alterum ἀπιστίας Osterodiana velum est ὑπερύψωσις seu exaltatio Christi, uti quod Deus eum judicem, dominum ac regem constituit, quod ei omnem potestatem dedit in cœlo & in terra, quod omnia pedibus ejus subjecit, quod ei nomen dedit, quod super omne nomen est &c. Hæc, inquit, omnia de divina natura intelligi non possunt, *Argumentum Osterodi ex scriptura contra deitatem Christi.* ita enim habuit jam ante omnia. Ergo non nisi humana natura est in Christo, quæ accepit isthæc ἀξιώματα, postquam Christus obediens factus est Patri usq; ad mortem crucis: nam propter illam obedientiam Deus eum ita exaltavit, honore & gloria coronavit, Phil. 2, 9. Heb. 2, 9. Hæc Osterod. §. 4, p. 45.

XXVII.

Admodum puerilis est hæc ἀλογία, ferulis corrigenda. Nulla enim consequentiæ ratio apparet: Christus accepit gloriam & honorem in natura humana: ergo non habet divinam naturam. Numquid ferret Osterodius ejusmodi disputatorem, qui diceret; hæreticus noster corpore satis sanus est; ergo animam nullam habet? potestne ejusmodi ἀδολεγία satis sufficiens esse, ad deturbandum Filium Dei de throno divinæ suæ majestatis?

XXVIII.

Largimur utiq; Christo secundum humanam naturam omnia illa ἀξιώματα, dona & privilegia donata esse, id verò divinam in ipso naturam non tollit, sed potius extollit, confirmat & præsupponit.

B

Ex

Ex hoc enim principio dona illa habuit caro Christi, quod in *ἁ-
γιότητι* illius naturæ adsumpta fuit, quæ divinam majestatem, gloriam
ac potentiam in se semper habuit, quemadmodum corpus inde ro-
bur & sanitatem suam habet, quod animam sanam & omnibus
partibus sui muneris ritè fungentem in se habitantem habet. Hinc
Cyrill. lib. 4. in Joh. cap. 9. *magnum certè signum, Deitatis in hoc cor-
pore naturam habitare, quoniam illi hinc donantur, quæ certè omnem natu-
ram excedunt.*

XXIX.

Falsissimum autem est, quod Hæreticus scribit, Christum pro-
pter obedientiam suam gloriâ & honore fuisse coronatum. Quo in
errore quidem socios habet ex scholasticis, Lombard. lib. 3. sent. dist. 18.
ex Escavitis Bellarm. lib. 5. de Christo cap. 9. Busæum th. 42, cont. Gerlach. ex
Calvinianis Iohannem Piscatorem & alios. Sed nulla solida ratio est, quæ
hunc errorem palliare possit. Certum enim est, Christum à primo u-
nionis momento plenum fuisse gratiâ & veritate, *Ioh. 1. & non sibi,
sed nobis patri ad mortem usq; fuisse obedientem.*

XXX.

Quod autem in locis allegatis Phil. 2. Hebr. 2. dicitur, propter hoc,
quod obediens factus sit patri, DEVM ei exaltasse caput: eamq; gloria & honore
coronasse, id non est nota meriti, sed ordinis, hoc est, non docuit Pau-
lus, quod passione & morte sua sibi gloriæ & honoris coronam fue-
rit promeritus, sed quo ordine coronam illam gloriæ adeptus sit, o-
stendit, nimirum ita, ut primùm pateretur, & sic demum in glori-
am suam ingrederetur, interprete ipso Christo *Luc. 24, 26.*

XXXI.

Et his omnibus rectè intellectis evanescit periculum, quod
metuit Olterodius §. 5 & 6. pag. 47. quasi assertione Divinitatis
Christi evertatur nostra consolatio & Dei Patris gloria, quæ ex exaltatio-
ne Christi oriunda erat. Verè enim salutare nobis, & æterno Pa-
tri gloriosum est, quod caro nostra ad dextram DEI evecta, glo-
ria & honore coronata fuit, unde spem habemus, quæ gloria præ-
cessit in capite, eam subsequaturam in corpore. Id verò divini-
tati Christi nihil derogat, sed potius, quidquid hic sublime est in
carne Christi, Unioni cum ea accepta fertur; quod & paulò an-
tè monuimus.

Hæc

XXXII.

Hæc ergo sunt obstacula fidei, quibus Osterodius se impeditum fatetur, quo minus filium Dei eo honore, quem ab æterno apud Patrem habuit, quoq; ipsum orthodoxa sanctorum Patrum Ecclesia profecuta est, dignari possit. Cogitet jam mens pia, an illa sufficientiant ad abnegandam Filij Dei divinitatem, tot præsertim argumentorum nervis roboratam; de quibus nunc ordine agemus.

XXXIII.

Primam classem argumentorum petimus ex illis scripturæ divinis, in quibus Dominus Jesus expressè appellatur DEUS, ut *Esa. 7, 14.* ubi de Virginis filio dicitur, Vocabitur nomen ejus Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. *Esa. 35, 4.* Salvator noster, quem adversarij quoque credunt esse JESUM Christum, appellatur DEUS: Deus ipse veniet & salvabit vos, quæ verba Christus ad se transfert *Matth. 11, 5.* De eodem Regius Propheta scribit *Psal. 45, 8.* unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

*καταναρκων ἄν Ἀρ-
ticuli de Dei-
tate Christi.*

*1. Argumentum
à Nomine Dei.*

XXXIV.

Talia multa sunt in Novo Testamento, ut *Ioh. 1, 1.* Deus erat verbum: quæ propositio de Filio Dei citra controversiam intelligenda est. *Ioh. 20, 28.* Thomas Apostolus in sua de Christo confessione apertè eum vocat DEUM. *Act. 20, 28.* dicitur Deus sanguine suo adquisivisse Ecclesiam suam, *Rom. 9, 5.* vocatur Deus benedictus in secula. *1. Tim. 3, 16.* Deus in carne manifestatus dicitur. *Tit. 2, 10, 11.* Deus magnus. *1. Ioh. 5, 20.* Filius Dei est verus Deus & vita æterna.

XXXV.

Hanc nubem testimoniorum divinatorum dupliciter discutere conantur Adversarij, 1. in genere. 2. in specie. In genere respondet Osterodius cap. 10 §. 1, Christum in scriptura vocari Deum, non quod natura à Deo ille excelsus sit, sed quia à Deo divinam potentiam & gloriam accipit, juxta illud *Philip. 2.* donavit ei nomen, quod super omne nomen est, ut in nomine Jesu flectatur omne genu &c.

*Objecta contra
allegata dicta
cum Responsio-
nibus.*

*1.
Generale obje-
ctum.*

XXXVI.

Etsi v. non negamus, multos esse putativos Deos & Dominos, quæ admodum idola gentium dicuntur di; esse etiã, qui propter officium & dona divinitus accepta hoc nomine indigentur, quemadmo-

Responsio.

B 2

dum



¹⁵⁶ dum Moses dicitur Deus Pharaonis *Exod. 4.* & Magistratus vocatur Dii *Psal. 82.* tamen ut hoc de Christo dicamus, multa obstant.

XXXVI.

Primum enim, si Christus saltem ob majestatem carni communicatam appellatur Deus, sequitur, quod tantum sit Dens factus. Hoc enim respectu D. Petrus dicit *Act. 2, 36.* Dominum & Christum eum fecit Deus. Scriptura autem describit ipsum, ut naturam Deum excelsum. Ideo vocatur unigenitus à Patre *Ioh. 1.* non quia ipse solus ex obumbratione virtutis divinæ in utero matris conceptus, quemadmodum vocem unigeniti perperam explicat Osterodus cap. 6. §. 7. de quo infra *thes. 211.* & seqq. sed quia proprius est Dei filius *Rom. 8, 32.* ex substantia Dei genitus, seu, ut scriptura loquitur, splendor gloriæ & expressa imago substantiæ Patris *Hebr. 1.* & c.

XXXVIII.

Deinde, si Christus naturam non est Deus ille excelsus, sequitur, idololatrias esse, qui hunc Christum adorant. Ex hoc enim fundamento Paulus gentiles idololatriæ accusat, quod iis, qui naturam non sunt Dij, servierint *Gal. 4, 8.* Jam verò adversarii etiam nonnulli adorant Christum, vide *Osterod. cap. 19. §. 17. Catech. Rackoviensem p. 177.* & *Faustum Socinum contra Andream Volanum resp. altera pag. 193.* Ergo aut sunt idololatriæ, aut persona, quæ adoratur, est naturam Deus.

XXXIX.

Præterea, si Christus tantum ob acceptam gloriam potentiamque divinam Deus appellandus esset, hoc certè tam augustum nomen ei in statu exinanitionis suæ tribui non potuisset: quia ex adversariorum mente gloriam potentiamque illam demum post mortem accepit, ut patet ex allegatione loci ex epistola *Philip. 2.* Jam verò constat, ipsum etiam in statu exinanitionis Deum fuisse: ita enim nominatur, cum manifestaretur in carne *1. Tim. 3.* & ita nomen ejus exponitur, cum nativitas ejus annunciaretur; Vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus *Matth. 1, 23.* Huc pertinet, quod *Matth. 21. 12.* scriptum est: Jesum intrasse Hierosolymis in templum Dei: illud verò templum vocatur Messias templum *Mal. 3, 1.* veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Ergo Messias etiam tum, cum templum suum ingrederetur, erat Deus.

Deniq;

Deniq; & hoc observare licet, quod iis, quibus nomen DEI in scriptura ob excellentiam aliquam tribuitur, semper cum additione aliqua tribuatur, quemadmodum Moses vocatur Deus Pharaonis, h. e. potens coram Pharaone *Exod. 4.* diabolus vocatur Deus, sed Deus hujus seculi *2. Cor. 4.* idola vocantur Dii, sed Dii gentium *Psal. 94.* Christo verò nomen Dei absolute tribuitur, vel certè cum tali *θεοδιορισμῶ*, qui notat Deum, super omnes creaturas elevatum, ut quod vocatur magnus Deus, Deus salvator, Deus super omnia benedictus in secula &c. Verùm hæc ad generalia Osterodi objecta sufficiant.

XLI.

In specie respondet Catechesis Rackoviensis ad quædam allegata dicta, quorum elusionibus paucis occurrendum est, ut argumenta nostro immota sua constet veritas. Etsi enim pleræque glossæ tam absurdæ sunt & impiæ, ut eas recitasse sufficiat, operosiore verò refutatione opus non sit, præsertim cum destruere semper sit facilius, quàm adstruere: attamen ne tergiversari & absq; fundamento scripturæ dicta accumulasse videamur, de singulis pauca subjiciemus.

XLII.

Primum arroditur locus illustrissimus Johannis ex i. Joh. 5. Filius Dei est verus Deus & vita æterna, quem locum D. Athanas. in disputatione contra Arium scriptam demonstrationem appellavit. *De loco 1. Joh. 5. Filius est verus Deus &c.* Hæc, inquit, agitur de uno vero DEO, quod græcus articulus θ indicat: Christus autem non est unicus ille & perfectus Deus, seu $\alpha\upsilon\tau\acute{o}\theta\epsilon\omicron$. Er ist nicht der einige/warhafftige Gott/welcher allein von ihm selbstem vund an vollkommensten Gott ist. Proinde pronomen θ non est referendum ad vicinius nomen, Christus, sed ad remotius, videlicet Deus p. 76. 77.

XLIII.

Laborat a. hæc elusio dicti Apostolici manifestâ petitione principii. Hoc n. in quæstione est, an Christus Dei Filius non sit unicus ille verus Deus, $\alpha\upsilon\tau\omicron\tau\epsilon\lambda\eta\varsigma\ \eta\gamma\lambda\ \alpha\upsilon\tau\acute{o}\theta\epsilon\omicron$? quod negant adversarii, & tamen hic, tanquam rem utrinque concessam loco probationis accipiunt. Nos verò dicimus, Filium Dei unicum illum verum DEUM esse: idque ex textu probamus, ratione gemina: 1. quia Filius Dei æquè ac Pater, vocatur $\alpha\lambda\eta\theta\iota\nu\omicron\varsigma$ v. 20. Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus $\tau\omicron\nu\ \alpha\lambda\eta\theta\iota\nu\omicron\nu$, & simus $\epsilon\upsilon$

τὸ ἀληθινὸν in Filio ejus Jesu Christo. 2. Unicus & verus Deus est vita æterna v. 20. Filius Dei est vita æterna: nam hæc vita in filio ejus est, qui habet filium, habet vitam æternam v. 11, 12. Ergo Filius Dei est unicus & verus ille Deus, quem Paulus vocat Salvatorem. Deum vivum 1. Tim. 4, 10. Sed de vero Deo hic agit Johannes dicentibus adversariis, ergo de filio Dei hic agit, & per consequens, pronomen ἑστὶν ad proximum nomen Christi referendum. Hic Christus est verus Deus, & vita æterna.

XLIV.

Etsi verò filius Dei divinitatem suam à Patre habet per æternam generationem, est tamen ipse etiam αὐτὸτελής & αὐτὸθεός: nulla enim hic est essentiæ inæqualitas, sed ordinis tantum diversitas & distinctio. Nam ut August. præclare loquitur l. 4. de Trin. & tract. 39. in Joh. Pater est principium sine principio, Filius principium de principio: Spiritus S. principium de utroq; principio. Unaquælibet itaq; persona Trinitatis est αὐτὸτελής & αὐτὸθεός, quia in singulis est perfecta & undiquaq; absoluta Deitas.

XLV.

De loco Tit. 2.
Christus Deus
magnus.

Ad locum Tit. 2, 10, 13. ubi Salvator Christus vocatur Deus magnus, respondent p. 39. non loqui Apostolum de Christo, sed Deo Patre, qui à Christo Salvatore per copulativam distinguitur. Si respondetur, agere Paulum de illo Deo, cujus gloriosam apparitionem expectamus: is a. non est Deus Pater, sed filius: ergo filium esse magnum illum Deum, de quo Paulus l. d. & quem καὶ ἐπεξήγησιν Salvatorem nostrum vocat: tunc regerunt illi, Paulum non dicere, nos expectare apparitionem magni Dei, sed glorie magni Dei: gloriam autem Dei Patris apparituram in adventu filii ad judicium, quia venturus est Christus in gloria Dei Patris sui &c. Deinde Deum Patrem venturum aiunt, quando Filius gerens personam, & administrans officium Patris apparebit p. 80.

XLVI.

Sed ludunt hi Antichristi fallacia Phraſeos. Nam apparitio gloriæ idem est, ac apparitio gloriosa, quemadmodum dextra virtutis Dei Matt. 26, 64. idem est, ac virtuosa vel omnipotens Dei dextra. Hæc gloriosa apparitio erit magni Dei: qua voce non Deum Patrem, sed filium intelligendum esse ex textu probatur his rationibus: 1. Magno Deo tribuitur adventus ad judicium in gloria: Sed Deus Pater non venit ad judicium. Ergo. 2. De illius magni Dei glorioso adventu

...sepulchro placid...
...es me...
...qui...
...dicitur...

159.
ventu agit Paulus v. 3. de cuius gratioso adventu egit v. n. apparuit
salutaris Dei gratia omnibus hominibus. Gratosus autem ille adventus
Dei erat Filii, non Patris, adventus nimirum in carnem. Ergo. 3. Ma-
gnus ille Deus vocatur à Paulo Servator noster, v. 13. Non Pater voca-
tur Servator noster, sed filius. Ergo non Patrem, sed filium vocavit
Paulus magnum illum Deum, quem supra Servatorem nostrum no-
minavit v. 10. & sic Deum ac Salvatorem nostrum dixit, sicut alibi
primam personam Deitatis Deum ac Patrem Domini nostri Jesu Chri-
sti 2. Cor. 1, 3. Eph. 1, 3. XLVII.

Deinde frivolum est, quod per metonymiam exponunt apparitionem Fi-
lii ad iudicium, de apparitione patris, cuius personam & officium geret Filius. Non
n. erit metonymicus adventus, sed verè & propriè apparebit filius in
nubibus cœli, ita ut hæc apparitio nequaquam patri adsignari queat.
Apparebit n. Dominus in ea natura, in qua ascendit in cœlum Act. 1,
11. exercebitq; visibilem actum iudicii Matt. 25, 31. seqq. qui nusquam
in scriptura Patri tribuitur: ergo absurdum & prorsus ἀθεόλογον est,
dicere, Deum Patrem venturum ad iudicium, quoquo modo illum
adventum intelligas. XLVIII.

Locum Act. 20. Deus sanguine suo adquisivit Ecclesiam, ita elu-
dunt p. 83. Vocabulum Dei non ad Christum, sed ad Deum Patrem referendum
esse, inquit, de quo Paulus dicat, sanguinem, quem Christus effudit, esse Dei
Patris sanguinem, eo genere loquendi, quo Propheta dicant, qui tetigit sanctos,
tetigisse pupillam oculi Dei. Arctissimam enim esse unionem inter Deum & Chri-
stum, quæ ad Deum referat, quæ Christi sunt. Hæc isti, De loco Act. 20.
Deus sanguine
suo adquisivit
Ecclesiam.

XLIX.

Sed absurdam hanc impietatem subsistere non posse, iterum argui-
mus ex textu, hoc pacto: 1. De eo loquitur Apostolus Paulus, cuius
est Ecclesia: sed filii Dei est Ecclesia, hujus enim est sponsa Joh. 3, 29.
Eph. 5, 29. & corpus Col. 1, 24. & dubito, an nusquam in scriptura N. T.
dicatur Ecclesia Dei patris. Christus expressè suam vocat Ecclesiam
Matt. 16, 18. super hanc petram ædificabo Ecclesiam MEAM. Ergo Pau-
lus loco allegato non de Patre, sed Filio loquitur: & quoties Eccle-
sia Dei vocatur, toties Christus Deus appellatur, quia est Ecclesia
Christi. L.

2. De illo Deo agit Paulus, qui Ecclesiam *ᾧ εἰς ποιήσατο* adquisivit, seu
redemit sanguine. Jam v. nō Pater hoc fecit, nisi in castra Patripassia-
norum.

horum transire velimus, sed filius, in quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum Col. 1, v. 14. & cui *ἡμεῖς ποίησιν τῆς σωτηρίας*, adquisitio salutis, accepta fertur, 1. Thess. 5, 9. Ergo

L I.

2. De illo Deo agit Apostolus, qui proprium habet sanguinem. Deus Pater proprium sanguinem non habet: sed *Filius* participavit carni & sanguini, sicut pueri, Hebr. 2, 14. Hujus ergo est proprius sanguis, quia ab eo in intimum suæ hypostaseos complexum assumtus: Patri autem non est proprius, quia in unionem cum ipso non venit.

L II.

Absurdissimum autem est, ea quæ Christi sunt, de Patre dicere, propter arctissimam Unionem Patris & Christi. Ita enim & Patrem de Spiritu sancto conceptum, ex Maria virgine natum, sub Pontio Pilato passum, mortuum denique & sepultum esse rectè dicitur, quod non nisi per insignem, & Christiano homine prorsus indignam *ἀδολεχίαν* fieri, etiam tyro Theologiæ intelligit. Ita nimirum multa malè interpretari coguntur, qui unum nolunt rectè intelligere, inquit Irenæus.

L III.

Omnis enim iste error *τῶν ἀντιλεγόντων* inde est, quod Unionem Christi cum Patre non rectè intelligunt. Hanc enim aliam esse non credunt, quàm qualis Deo intercedit cum sanctis, & quæ in gratiosâ inhabitatione Dei consistit, unde non nisi per *ἁγίον* quandam sanctorum honor vel ignominia ad Deum refertur: Christo autem longè sublimiorem Unionem cum Patre scriptura tribuit, nimirum quæ in communione essentia consistit Ioh. 10, 30.

L IV.

Unde novum oritur argumentum contra glossam Adversariorum, hoc pacto: Quæ ad essentiam divinam pertinent, Patri & Filio sunt communia, juxta dictum Ioh. 10, 30. non autem quæ ad personam *σύνθετον*, ea enim à Patre realiter distincta est. Sed sanguis Christi non ad essentiam divinam, sed personam ejus *σύνθετον* pertinet, Ergo non est Deo Patri communis, & per consequens, non potest Dei Patris sanguis appellari.

L V.

Præterea & ex abundantia, si maximè sanguinis effusio & omnis passio Filii redundet ad patrē, eo respectu, quod in ignominia Filii ignominia afficitur ipse Pater: nullā tamē ratione sequitur, quod ipse sanguis

161.
sanguis Christi sit propterea Patris sanguis appellandus: quemad-
modum non sequitur: qui sanctorum sanguinem effundunt, Deum ipsum
ledunt: ergo sanctorum sanguis est DEI sanguis. Ex quibus omnibus hæ-
reticorum istorum impia vanitas & vana impietas in eludendis a-
pertissimis Spiritus Sancti verbis elucescit.

LVI.

Ad dictum Joh. 1, 1. Deus erat Verbum, respondent, non posse
per verbum intelligi eum, qui sit naturâ Deus, quia sequeretur, duos esse naturâ
Deos, quorum unus sit apud alium, siquidem dicatur, Verbum illud fuisse a-
pud Deum p. 120.

Ad dictum
Iohan. 1. Deus
erat Verbum.

LVII.

Sed vitiosa est consequentia. Hoc enim tantum sequitur, quod
duæ sint personæ, quarum una fuit apud aliam ab æterno. Idcirco
D. Johannes λόγον, quem hinc apud Deum fuisse scribit; alibi apud Pa-
trem fuisse, ait 1. Ioh. 1, 2. distinguens personas, non distrahens essentiã.

LVIII.

Duæ verò personæ non constituunt duos naturâ distinctos de-
os. Nam ut plures personæ sint, duo saltem requiruntur, 1. ut una-
quævis suam peculiarem habeat subsistentiam, ne unum alteri insit,
ut accidens subjecto. 2. ut sint verè & realiter distinctæ, ne una præ-
dicetur de altera. Sed ut diversi dii constituantur, præter ista duo
tertium adhuc requiritur, nimirum, ut sint essentiã à se invicem di-
stincti: quod tertium in simplicissimam & indivisibilem Dei essen-
tiam non cadit,

LIX.

Quod autem Verbum illud, de quo Johannes, sit naturâ Deus,
ex textu facilè ostendi potest: dicitur enim 1. ab æterno, seu in prin-
cipio creaturarum fuisse: 2. omniaq; per ipsum facta, quæ facta sunt;
quæ duo non nisi de divinâ essentiã prædicari possunt, de quo infra
suo loco plura.

LX.

Confessionem B. Thomæ Apostoli Joh. 20, 28. ajunt non ad
eum qui naturâ Deus sit, referendam esse; eum enim Dominum ac Deum suum
vocat, in cujus carne cicatrices videbat. p. 119. Idem dicunt de loco Rom. 9, 5. meus ac Deus
Eum nimirum vocari Deum benedictum in secula, qui sit ex patribus secundum
carnem; non ergò posse intelligi naturâ DEVM.

C

LXI, Fluit

Fluit autem hæc quoque glossa ex ignorantia scripturæ & mysteriorum DEI. Credimus enim & suo loco probamus, Christum Jesum esse θεάνθρωπον in quo divina & humana natura tam arcto complexu conveniunt, ut Apostoli videntes carnem Christi, ipsum λόγον vidisse dicantur 1. *Ioh.* 1. quo sensu & B. Thomas videns carnem Christi, ipsum Dominum ac Deum suum agnoscebat, Deum nimirum in carne manifestatum. De quo quod Rackovienses Catechetæ nihil intelligunt, mirum non est, quia ὁμολογημένως illud μέγα μυστήριον non nisi rationis decempedâ metiuntur, & sic candens illud ferrum non forcipe, sed digitis contrectant, quod sine periculo fieri non potest.

LXII.

De loco Rom.
9. Christus ex
Patribus est
Deus benedi-
ctus. &c.

Ita Paulus Christum ex Patribus naturâ vocat DEUM, quia is, qui naturâ Deus est ab æterno, semen Abrahamæ assumpsit in tempore *Heb. cap. 2, 16.* Et quod in Christo præter humanam, etiam aliam, eamque divinam, agnoscat naturam Apostolus, duobus modis ex textu probari potest. 1. quia vocat eum non simpliciter Deum, quemadmodum & Magistratus fortasse dij dicuntur. *Psam. 82 sed Deum super omnia benedictum in secula,* quæ est descriptio veri & naturalis DEI, ut patet ex *Rom. 1, 25.* ubi eadem verba de Conditore Cœli & terræ usurpantur. 2. quia limitationem addit, quod Christus sit ex patribus *secundum carnem;* ergo habet Christus & aliam naturam, secundum quam non est ex Patribus; ea verò non est angelica, non enim angelos assumpsit *Hebr. 2.* ergo divina, quæ Patrum & Angelorum naturam longissimè superat.

LXIII.

Et hæc sunt præcipua dicta, quæ corrumpunt Rackovienses: cæterorum elusionibus examinandis hic super sedemus, & ipsi disputationi reservamus, ne justo prolixiores simus. Ad secundam itaque classem argumentorum progredimur, quibus divinam in Christo naturam esse demonstratur.

LXIV.

2. Argumentū
à Nomine Je-
hovæ

Hanc constituunt ea Scripturæ dicta, in quibus Dominus Jesus nomine J E H O V Æ appellatur. Illud enim sacrosanctum nomen est, quod verus & æternus Deus sibi soli tribuit *Exod. 6, 3.*

Ego

Ego Dominus, Ego Jehovah, hoc est, nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. Idque hodie Judæi in tantis tenebris cernunt, nomenque illud non nisi vero & æterno Deo competere fatentur: qua de re vide Pet. Galatinum lib. 2. de arcan. cath. verit. cap. 1.

LXV.

Nolumus a. hic promiscue omnibus illis locis uti, in quibus hæc divina vox Filio Dei tribuitur, sed præcipuis duntaxat, & nervum argumenti maximè constringentibus: inter quos familiam ducit ille *Jerem. 23, 6.* Vbi de Messia, qui ibi germen Davidis appellatur. eadem verba usurpantur, quæ Deus de se locis supra allegatis, *hoc est nomen, quod vocabunt eum Jehovah, justitia nostra.* Ad quem locum Paulus respicere videtur, *1. Cor. 1, 30.* ubi scribit, Christum nobis factum esse à DEO justitiam.

LXVI.

Similis locus extat in historiâ de educatione Israelitarum ex Ægypto. Nam *Exod. 20, 1,* dicit Dominus: Ego Jehovah Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & *cap. 13, 21.* dicitur Jehovah præcessisse Judæos interdum in columnâ nubis, ut duceret eos per viam, noctu verò per columnam ignis, ut luceret eis &c. *cap. 33, 33.* dicuntur Israelitæ peccasse Jehovah & *Num. 14, 26.* tentasse & murmurasse contra Jehovah. Hæc autem omnia D. Paulus, scripturæ Mosaicæ optimus interpres, refert ad Christum, qui comitatus est Israelitas per desertum, & ab iisdem tentatus est *1. Cor. 10, 4, 9.*

LXVII.

Sic Jehovah apparanda est via *Esa. 40, 3.* Jehovah flectetur omne genu *Esa. 45, 23.* Jehova appellatur Petra scandali *Esa. 8, 14.* Jehova dicitur apparuisse in solio *Esa. 6, 3.* venditus triginta argenteis *Zach. cap. 11, 13.* confixus esse *Zach. 12, 10.* in altum ascendisse & dona dedisse hominibus *Psal. 68, 19.* effundere Spiritum Sanctum *Joël. 2, 28.* Quæ omnia Scriptura Novi Testamenti transfert ad Christum *Matth. 11, 10. Rom. 14, 11. Phil. 2, 10. 1. Petr. 2, 8. Ioh. 12, 41. Matth. 27, 9. Ioh. 19, 37. Eph. 4, 11. Act. 2, 17. &c.*

LXVIII.

Quomodo verò Adversarij nostri hac sacrosancta voce ludant, eamque creaturis quoque tribuant, allatis ad hanc rem.

164 Scripturæ dictis, nolumus hic attingere: objectiones illæ cum respon-
sionibus passim sunt obviæ. Ea tantum, quæ Osterodius &
Catechesis Rackoviensis contra hoc argumentum in commune
contulerunt, breviter examinabimus.

LXIX.

Dicit itaque Osterodius cap. 10. §. 4. *Christum in nullo Scripturæ
loco expressè Iehovam appellari*, cui impudenti effato opponimus tot lo-
cos, quot in præcedentibus thesibus habuimus, quorum nullum tan-
gere audeat, præter illum Jerem. 23. de quò paulò post. Ait in super,
De angelo ex rubo loquen- etiam angelos hoc nomine fuisse insignitos, & exempli loco affert angelum cum
te cum Mose. Mose loquentem ex rubo ardente, quem Iehovam appellatum constat ex Exod.
3. 2. sed Angelum fuisse testatur Stephanus Act. 7, 30.

LXX.

Sed, quem Stephanus in sua concione vocat Angelum, cum ve-
rum & æternum Deum fuisse, non modò ex voce Jehovæ, sed & aliis
circumstantiis textus colligimus. I. Primùm enim ille angelus in
rubo ardente vocatur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob Exod.
3, 6. quod elogium nullus Creatorum Angelorum de se usurpavit:
est enim perpetua descriptio veri & æterni DEI; sicut ipse inquit v.
15. *hoc nomen mihi est in æternum, & memoriale meum in generatione & ge-
nerationem.*

LXXI.

2. Hæc verba ex rubo non angelum creatum, sed verum & na-
turalem DEVM, qui mortuos resuscitat, dixisse, testis est Salvator
ipse Matth. 22, 32. Marc. 12, 26. *De mortuis quod resurgant, non legistis
in libro Mosis super rubum, quomodo dixerit illi D E V S (ecce Deus,
non angelus) inquiens: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Ia-
cob, &c?*

LXXII.

3. Dicitur ille Angelus apud Mosen audivisse clamorem filio-
rum Israel, vidisse afflictionem eorum, & misisse Mosen & Pharao-
nem, ut educeret filios israel ex Ægypto. Quæ omnia non de creato
Angelo accipi possunt: Non enim ad angelos, sed ad verum & vivū
Deum clamaverunt Israelitæ, sicut scriptum est Exod. cap. 2, 23. *adscen-
dit clamor eorū ad Iehovam.* Non angelus, sed Deus vidit afflictionem
eorum,

eorum, sicut scriptum est *Exod. 2, 24. audivit Iehova gemitum eorum.* ¹⁶⁵
ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham Isaac & Jacob:
Et, respexit Iehova filios Israel & liberavit eos. Non angelus, sed Deus
misit Moſen ad Pharaonem, teste Stephano *Act. 7, 35.* hunc Moſen
Deus Principem & redemptorem misit &c.

LXXIII.

4. Denique is, qui ex rubo quærenti Moſi nomen suum indicat,
dicit, *Ego sum qui sum*, item, *Qui Est, misit me ad vos v. 14.* quod iterum
essentiale Dei nomen notat, nulli angelorum commune. Unde &
nonnulli illud *Eich, Ero*, non ineptè ad Christum referunt, hoc sensu.
Qui erit in plenitudine temporis verus homo, Salvator generis hu-
mani, ille Deus me ad vos misit: qua de re vide *Flac. part. 2. clav. tract.*

6. p. 358.

LXXIV.

Deinde ad locum *Jeremiæ 23, 6.* obijcit Osterodius l. d. & Ca-
techesis Rackoviensis pag. 72. *Iehovam ibi vocari non Christum, sed Israël- De loco Jer. 23.*
lem Iudam & Ierusalem, quia Deus ibi se patefecit. Sed hæc glossa nimis vio- *Iehova justitia*
lenta est, & contra textum. 1. Primum enim describit Propheta no- *nostra.*
mine suo nō Judam aut Jerusalē, sed germen Davidis, quod prius no-
mine suo appellativo nominaverat, *germen justum*, huic jam nomen
proprium tribuit, *Iehova justitia nostra.* 2. is vocatur Iehova justitia
nostra, qui faciet justitiam in terra: hoc verò non Judæ vel Jerusa-
lem, sed Christi officium est. 3. is denique dicitur Iehova, qui est
Rex noster: Christus autem est Rex noster justus *Zach. 9, 9.* Ergò.

LXXV.

Instant *Rackovienses* ex cap. 33. *Jerem. v. 16.* ubi eadem reperun-
tur verba, *Salvabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidenter, & hoc est no-*
men, quod vocabunt eum Dominus justus noster. Ubi refugium quærunt in
adfixo generis fæminini, & *vocabunt Eam*, scil. Ierusalem, Dominus
justus noster; hoc sensu: in Ierusalem justificabit nos Dominus.

LXXVI.

Verisimile autem non est, Prophetam tam obscurè loqui volu-
isse de justitia nostra, cum apertis verbis uti potuerit. Neque etiam
locum notare voluit, ubi justitia nobis esset acquirenda, sed *personam*,
quæ nos justificatura esset.

LXXVII.

Adfixum $\overline{\text{m}}$ nihil juvat adversarios. Sunt enim, qui illud ad-

C 3

vo.

voce Jehovah, sunt qui ad Jerusalem referunt. Illi enallagen generum ponunt in textu Hebræo non infrequentem, quemadmodum Gen. cap. 2, 15. nomini Masculino יהוה duo verba cum adfixis fœmininis adjunguntur: Idque sæpe fieri, tyronibus etiam notum est, & in grammaticis pluribus declaratur exemplis. Causam hujus enallages qui volunt, videant apud doctissimum Hebræum, Johan. Mercerum in prælect. in Genes. in cap. 4. fol. 110. b.

LXXVIII.

Sed nulla nos cogit necessitas, ut adfixum à voce Jerusalem abjungamus. Ita enim habet textus ex fontibus: *Et iste, scilicet Rex Messias, qui vocabit eam (Hierolyman seu Ecclesiam) est Jehovah justitia nostra.* Ita habet versio interlinearis Ariamontani; & sensum hunc ipse literarum sonus & ordo exposcit, ita ut ad enallagen grammaticam confugere opus non sit. Relinquitur Jerosolymæ suum adfixum, & justificatori Jerusalem, seu Ecclesiæ, suum sacrosanctum nomen Jehovah.

LXXIX.

Cætera à nobis allegata dicta Osterod. in Institutionibus, & Rackovienses in Catechesi, vel planè non, vel levi saltem digito attingunt, idcirco ea omittimus: aliorum etiam depravationes brevitate studio præterimus, & ad tertiam classem argumentorum nostrorum pergimus; quam suppeditant idiomata & attributa veri DEI, quæ in scriptura æquè de Christo, quàm de DEI patre efferuntur.

LXXX.

Sunt autem hæc potissimum idiomata, quibus divinum Numen à creaturis discernitur: æternitas, immensitas, omnipotentia, omniscientia. De æternitate ita dicit Jehovah *Es. 40. 28.* Numquid nescis aut nō audisti? Deus æternus Dominus, qui creavit terminos terræ &c. & *cap. 41. 4.* Ego Dominus primus & novissimus ego sum. *Psal. 90. 2.* Priusquam montes nascerentur, & formares terram & orbem, à seculo & usque in seculum tu es DEUS.

LXXXI.

De immensitate *Ier. 23, 24.* numquid non cœlum & terram ego impleo dicit Dominus? similia habentur *psal. 139, 7. Es. 40, 12. &c.*

LXXXII.

De omnipotentia *Genes. 17. 1.* ego Dominus omnipotens sum.

1. Paral. 29. 12. Tu, Domine, dominaris omnium: in manu tua virtus & potentia, magnitudo & imperium. Psal. 134. omnia quaecunque voluit Dominus fecit. Ephes. 3. Potest omnia facere superabundanter quam petimus.

LXXXIII.

De omniscientia ait Salomon 2, Paralip. 6. Tu solus nosti cor filiorum hominum &c. Psalm. 33, 13. de caelo prospexit Dominus, vidit omnes filios hominum & finxit singillatim corda eorum; intelligit omnia opera eorum &c.

LXXXIV.

Omnia haec attributa efferuntur etiam de Jesu Christo. *Pri- Aeternitas Fi-*
mum enim introducitur *ut aeternus*, qui neque principium neque *lij DEI.*
nem habet. Locus extat clarissimus Mich. 5, 2. ubi de dominato-
re Israelis in Bethlehem nascituro dicitur, quod egressus ejus sit ab
initio, à diebus aeternitatis. Prov. 8, 22. caelestis sapientia, quae abs-
que dubio Christus est, de seipsa dicit: Dominus possedit me ab
initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab
aeterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Iohan.
1. dicitur λόγος *⊙* fuisse ab initio creaturarum, hoc est, antequam
ulla creatura fierent, quae est descriptio absolutae aeternitatis. Ioh.
8, 58. Antequam Abraham erat, ego sum. Iohan. 17, 5. petit Christus
glorificari eam gloriâ, quam apud Patrem habuit, priusquam mun-
dus esset. Fuit ergo Christus apud Patrem antequam mundus esset,
hoc est, ab aeterno.

LXXXV.

Haec luce meridianâ clariora sunt: nec tamen haec lux ab
Adverlarijs Christi intemerata relinquatur. Ad locum Michæ *De loco Mi-*
excipit Osterodius cap. 7. §. 4. & Rackovienses p. 66. *Viriosam esse chæ 5. egres-*
versionem; Ex Hebræo enim ita reddi debere, ortus ejus aliunde, à diebus *sus ejus ab ini-*
aeternitatum, ut sensus sit, ortum Messiae esse ab annis antiquis, vid. ex *tio.*
tribu Iuda & domo David, eoque nomine satis illustrem. Hebraeam vocem
Olam non notare aeternitatem initio & fine carentem, sed tempus benè lon-
gum.

LXXXVI.

Etsi verò non negamus, Olam saepe numero certum rei tem-
pus notare, praesertim de creaturis usurpatum, saepe tamen quando
Deo

Deo tribuitur, absolutam æternitatem notat ut *Genes. 21, 33. Esa. 40, 28. Psal. 9, 8.* in primis autem *Psal. 90, 2.* Tu Deus es *meolam ad-olam*, à seculo in seculum; quæ est descriptio absolutæ æternitatis,

LXXXVII.

Eadem est ratio vocis $\square\uparrow\uparrow\uparrow$ ab initio, quæ etiam habetur in verbis Michæ. Illa enim etiam pro certo & definito initio temporis sæpè sumitur: non rarò tamen æternitatem notat, cum de Deo usurpatur. e. g. *Hab. 1, 12.* Nonne tu ab initio Jehovah, h. e. ab æterno: & *Prov. cap. 8, 22.* ab initio viarum suarum possedit me, ab æterno ordinata sum, antequam terra fieret. Hebræi enim cum æternitatis nomen proprium non habeant, nomine Kedem & Olam utuntur ad eam significandam, humanis verbis describentes æternitatem.

LXXXVIII.

Sed nolumus in ipsis vocum apicibus & syllabis hære, verùm rem ipsam in loco Michææ ponderabimus. Ostendere vult Propheeta, talem Messiaæ nativitatem seu egressum esse, cujus initium sit absconditum: id enim notat vox Olam. Jam verò Messiaæ familiam à Davide suum habere ortum, nemini Judæorum erat absconditum. Ergo initium illud Messiaæ non ad familiam Davidis referendum est, sed ad dies æternos, quorum initium nemo hominum novit. Ideo conjunguntur ista duo ab initio, & à diebus æternitatis, $\epsilon\chi\eta\gamma\eta\sigma\epsilon\omega\varsigma$ ergò: sicut illa vox $\alpha\pi' \delta\epsilon\ \chi\eta\varsigma$ 2. *Thessal. 2, 13.* per istam, $\omega\epsilon\gamma\ \kappa\alpha\tau\alpha\ \beta\omicron\lambda\eta\varsigma\ \kappa\omicron\sigma\mu\varsigma$ *Ephes. 1, 4.* exponitur. Illa $\tau\omega\ \square\uparrow\uparrow\uparrow$ ista $\tau\omega\ \square\uparrow\uparrow\uparrow$ respondet.

LXXXIX.

Præterea Propheeta non familiam Messiaæ nobilitare, sed patriam & civitatem ejus indicare, nec familiam cum nativitate Messiaæ, sed nativitatem æternam cum temporali conferre voluit, ut constat ex textu. Quod si maximè familiam ejus respexit, falsum tamen est, quod eam his verbis: *egressus ejus ab initio &c.* ad tribum Juda & domum David retrò ducere voluerit. Primum enim id jam fecerat, dum eum ex Bethlehem egressurum dixerat; jam verò de alio egressu loquitur, qui non sit ex Bethlehem, sed ab initio, à diebus æternitatis, antequam vel Bethlehem vel totus mundus esset. Deinde exigua esset nativitatis Christi nobilitas, ex antiquitate familiae petita, si non ulterius, quàm ad tribum Juda & domum David extendere-tur. Nam & alij dominatores in Israël tale habuere ortus sui initium.

Prophe-

169.

Propheta autem de singulari dominatore agit, cujus initium retrò,
ultra omnium hominum memoriam extenditur.

X C.

Ad dictum Salomonis ex Prov. 8. respondent Rackovienses p. *De loco Prov.*
69. 70. Salomonem non loqui de Christo, sed de sapientia in genere, quæ per- 8. Ab initio
sona neq; sit neq; esse possit. & de ea non dicere, quod sit ab eterno, sed à seculo. possedit me.

X C I.

Verùm agere Salomonem loco allegato de sapientia increata,
hoc est, de filio D E I, ipse textus arguit. Primùm enim dicitur Deus
hanc sapientiam possedisse seu genuisse (phrasi Scripturæ, ubi qui fi-
lios generant, possidere & acquirere eos dicuntur Genes. 4, 1.) pos-
sedit autem seu genuit Deus filium Psal. 2, 7. qui sapientia D E I voca-
tur Luc. 7, 35. 1. Cor. 1, 24. Ergò de filio D E I agit Salomon. 2. Deinde
sapientia illa ita describitur, quod ludat in orbe terrarum, & deli-
tias habeat cum filiis hominum v. 31 quo quasi digito notatur sua-
vissima conversatio Filij D E I inter homines, in quorum carne appa-
ruit mitis & humilis corde Matth. 11, 29. Ad phrasin, à seculo, paulò
ante responsum est thes. 85. & seq.

X C II.

Illustrem locum Joh. 1, 1. hac ratione obscurare conantur. Di-
cunt Apostolum Iohannem non loqui de primo rerù omnium initio, sed de initio *De loco Joh. 1.*
prædicati Evangelij, ubi jam tum fuisse Christum non negant, ab eterno autem, *In principio*
quin & ante Mariam fuisse non concedunt. *erat Verbum.*

X C III.

Atqui etiam hic contextus aliud docet. I. Primùm enim sco-
pus Evangelistæ repugnat, qui fuit, testibus orthodoxis Patribus,
Epiphan. lib. 1. tom. 2. her. 27. Euseb. lib. 3. hist. cap. 27. & aliis, ostendere con-
tra Cerinthum, Jesum Nazarenum non tantùm esse Filium Mariæ,
sed & Filium D E I æternum, adeoque verum Deum, mundi Salva-
torem. Ergo non erat institutum Evangelistæ, ostendere, quod
Christus ab initio prædicati Evangelij fuerit: id enim contra Cerin-
thum nihil probasset: sed quod fuerit ab initio mundi, cum adhuc
nihil esset. 2. Deinde dicit Evangelista, per hunc λόγον, qui fuit ab
initio, facta sint omnia. Respexit itaq; suo quodam modo ad caput 1.
Geneseos, ubi Moyses iisdem verbis historiam creationis incipit, do-
cetq; λόγον jam tum fuisse, cum nulla creatura esset condita. Ergo

D

à crea,

370
à creaturarum numero & ab omni temporis puncto ipsum eximit,
nam & tempus inter creaturas numeratur.

X C I V.

De loco Ioh. 8.
Antequam A-
braham erat,
Ego sum.

Ad locum Ioh. 8. Antequam Abraham erat, Ego sum, excipit O-
sterodius cap. 8. §. 1. & Catech. Rackov. p. 61. nullo verbo hic mentio-
nem fieri eternitatis. Aliud enim esse; ab æterno; aliud, ante Abrahamum esse.
Sufficit autem ad propositum nostrum, quod Christus ante Abra-
hamum fuerit: ita enim probavimus contra illos Antichristos, i-
psam ante Mariam fuisse, & per consequens, divinam habere natu-
ram: nam juxta humanam ante Abrahamum esse non potuit.

X C V.

Quod cum videant isti, negari non posse, aliam excogitarunt
glossam. Dicunt enim græcum textum. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραάμ
γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι, ita vertendum esse; amen dico vobis, antequam Abraham
erat, ego sum, ut hic sit sensus; amen dico vobis, antequam ex Abramo sit Abra-
ham, seu Pater multarum gentium, per vocationem gentilium ad regnum DEI,
ego jam pridem sum lux Mundi seu Messias, Osterod. l. d.

X C V I.

Sed quod Christus hoc dicto se non Messiam gentium, sed na-
turalem verumque DEUM, professus fuerit, ipse textus ostendit.
1. Primùm enim id malè Judæos non habuit, quod gentibus etiam
predicaturus erat Evangelium, sed quod doctrinam suam, ut præsen-
tissimum mortis ἀντίδοτον. commendabat, id ferre non pote-
rant, versu 51.

X C V I I.

2. Deinde non propter officium, sed propter personam suam i-
psam persequerentur, quod cum homo esset, seipsum faceret DE-
UM, ut loquuntur Ioh. 10. 33. ubi ITERUM lapides in Salvatorem
conjecisse leguntur, qua voce Iterum Evangelista respexit ad hanc
historiam capituli octavi.

X C V I I I.

3. Ipsi Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani in-
quit August. tract. 48 in Ioh. nimirum, Christum ista voce æternita-
tem naturæ sibi tribuere: ideo ad hoc verbum antequam Abraham fie-
ret, ego sum, tollebnt lapides, vindicaturi hanc, quæ ipsis videba-
tur, blasphemiam pœna in lege dicta Levit. 16.

4. Non

4. Non respondet Christus, per Est tertij adjecti: *Ego sum lux mundi*, ut heretici addunt, sed per Est secundi, *Ego sum*; respiciens haud dubie ad id, quod jam olim Mosi de nomine suo sciscitanti, respondebat ex rubo, *Ego sum qui sum Exod. 3.* Et sic hæc ipsa vox non ad officium, sed ad personam Christi æternam, digitum intendit.

C.

5. Præterea, datâ operâ Christus ista duo, *γενέσθαι καὶ εἶμι*, opponere voluit, illudque de Abrahamo, hoc de seipso usurpare, ut ostenderet Abrahamum factum, adeoque creaturam esse, se verò non factum vel creatum esse, sed æternum & immutabile Esse habere.

CI.

6. Denique ea vocis in definitæ *γενέσθαι*, natura est & emphasis, ut noveret tempus præterito-præsens seu præteritum quidem adhuc tamen durans, in quo omnes Grammatici consentiunt. Sensus ergo erit, *πρὶν τὸ γενέσθαι*, ante Abraham fieri, seu antequam Abraham adhuc existeret, sicut rectè Lutherus reddidit, *ehe dant Abraham ward / quo pacto vox ἐγένετο usurpatur Johan. 1, 6, 10, 14. & alibi.*

CII.

Locum Johan. 17, 5. ita eludunt Rackovienles pag. 132. *De loco Ioh. 17*
 cunct 1. *Christum habuisse gloriam apud Patrem ante constitutionem mundi, non ratione ὑποστάσεως sed προγνώσεως, h. e. non quod ipse ab æterno ea gloria, quã fuerit, sed quia ei hæc gloria ab æterno præordinata fuerit, sicut de electis scriptũ habui apud te est. 2. Tim. 1, 9. quod data eis fuerit gratia ante tempora secularia. Vnde tamen non sequatur, ipsos esse ab æterno. 2. Ex hoc ipso sequi ajunt, Christum non fuisse æternum DEVM, quia hanc gloriam à Patre suo petijt, di, quod veri DEI non est.* *ante constitu-*

CIII.

Ad utrumque distinctè respondemus, 1. In priori objecto est petitio principij. Non quidem negamus habuisse Christum hanc gloriam ab æterno per destinationem & decretum Patris: sed hoc nondū satis est. Habuit eam etiam ut unigenitus à Patre, juxta illud Joh. 1, 14. vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre; unde & splendor gloriæ paternæ appellatur *Hebr. 1, 13.* Gloriam ergo
 D 2 illam

172. illam habuit & ratione ὑποστάσεως & ratione περιχώσεως. Ratione περιχώσεως, quoad humanam naturam: ratione ὑποστάσεως, quoad divinam; ita enim fuit splendor gloriæ.

CIV.

2. Si tantum respectu περιχώσεως illam habuisset gloriam, nihil peculiare haberet præ electis, quibus etiam gloria vitæ æternæ juxta mensuram suam destinata est à constitutione mundi. Oportet autem differentiam esse inter Christum & electos, etiam hoc respectu, quod Christus gloriam non saltem multis modis majorem, sed & ab æterno verè, & ratione suæ ὑποστάσεως, habuit apud Patrem: aliàs ἀπαύγασμα τῆς δόξης πατρὸς nominari non potuisset: electi verò non nisi ratione περιχώσεως eam ab æterno habere dicuntur.

CV.

His de causis jam pridem elusio ista Photiniana anathema meruit Synodi Sirmiensis, in qua Photinus episcopatu suo excidit: Ita enim habet canon quartus synodi: *Si quis secundum præscientiam vel prædestinationem ex Maria dicit Filium esse, & non ante secula ex Patre natum apud Deum esse, & per eum facta esse omnia, anathema sit.*

CVI.

Posterius objectum quod attinet, Christus glorificari se petit secundum humanam naturam, & respectu plenarij usus ejus gloriæ, quæ aliàs à primo statim Unionis momento ei communicata erat. In quam sententiam scribit Athanas. orat. 4. contr. Arianos: *humanitatis propter corpus hæc omnia dicit: ipse accepisse dicitur, quæ accepit humanitatis.* Et Cyrillus in cap. 17. Johan. *Gloriam quam semper habebat ut DEVS, ut homo petijt. Nec quia gloriæ unquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicuntur (nunquam enim DEI verbum ac Deus dignitate suâ caruit) sed quia in gloriam, quæ sibi semper adest, ut DEO, proprium templum reducere volebat.*

CVII.

Et hæc de Æternitate Filij DEI hoc loco sufficient: cætera quæ huc pertinent, infra attingemus, cum de æterna generatione ejus à Patre agendum erit: Nunc ad alterum attributum DEI, *Immensitatem* videlicet progrediendum est.

CVIII.

Eam etiam de Filio DEI demonstrant sacrae literæ, quando testantur,

stantur, ipsum ubique locorum presentem esse *Matth. 18.* & in fidelium cordibus habitare *Ephes. 3.* id quod à finita quadam essentia in Filij DEI se fieri non potest. Docent itidem, Christum sustinere omnia verbo potentia suae *Hebr. 1.* omniaque per ipsum condita, per ipsum quoque consistere *Col. 1.* Quae dicta non hoc volunt, quod ipse absens praesit omnibus, sed quod praesens omnibus gubernet & conservet omnia: quod sanè non nisi unius & veri DEI est.

CIX.

Huc pertinent illa dicta, quae docent, Christum etiam ante incarnationem fuisse in caelo, in mundum venisse, à Patre exivisse, à Patre in mundum missum esse, in carnem venisse &c. *Ioh. 3, 13. Ioh. 6, 38, 41, 42. Ioh. 10, 36. 16, 28. I. Ioh. 4, 2. Hebr. 10, 5.* Quae omnia non modo aliam praeter humanam in Christo naturam praesupponunt, verum etiam eandem ei cum Patre praesentiam in caelo & in terra ante suam incarnationem tribuunt, quae non nisi divinae competit essentiae.

CX.

Contra hoc argumentum multa affert Osterodius cap. 16. & Catechesis Rackoviensis pag. 135. quae paucis perstringemus. Primū dicunt: *ex modis loquendi nō esse facienda nova dogmata. Esse autē hunc modum loquendi, egredi vel venire in mundum, mitteri in mundum: nam & de Pseudopphetis scriptum esse, quod egressi fuerint in mundum 1. Ioh. 4, 1. & Christum de discipulis suis dicere, quod eos miserit in mundum Ioh. 17, 18. & tamen non fuerunt extra mundum antequam in mundum mitterentur.*

Exceptiones Adversariorū

CXI.

Verum enim verò, non hic de modo loquendi quaestio est, sed de ipsa re: quid nimirum ille egressus Christi à Patre & adventus in mundum notet. Hic verò scriptura docet, non esse ejusmodi egressum & adventum, qualis alijs tribuitur hominibus, sed planè *μόνον ἔρχομαι καὶ ἐξείρεται*, quo nimirum Christus factus est, quod nondum erat, salutis nostrae causa: idcirco hic ejus adventus alijs alibi exprimitur phrasibus, ut, quod descendisse dicitur de caelo, semen Abrahæ assumisse, in carne se manifestasse &c. quae omnia de nulla creaturarum efferuntur.

Responsio.

CXII.

Sed inquirunt secundo loco: *egressus, descensus & adventus ille Christi in mundum factus non est ante Christi nativitatem ex Maria, sed post eam.*

Alia exceptio.



174. Dicit enim Salvator ipse, Filium hominis descendisse de caelo, & in caelo esse Ioh. 3, 13, 6, 26. Iam verò filius hominis in caelo esse non potuit, antequam nasceretur. Ergo in caelo fuit, & de caelo descendit, postquam ex Maria natus esset.

CXIII.

Si quæras, quomodo filius hominis in caelo fuerit post suam ex Maria nativitatem? respondet Osterodius §. 3. ipsum eò ascendisse, & denuò descendisse, antequam visibiliter eò assumtus fuit. Christus der Mensch/ ait, ist in den Himmel zuvor / ehe er sichtbarlich dahin genohmen/gestiegen/vnnd also wider von dannen kommen. Idque declarat §. 4. exemplo Mosis, qui ascendens in montem cum DEO conversatus est, & legem populo tradendam ibi accepit: Multò magis, inquit, Christus mysterium Evangelij revelaturus, in caelum ascendere, cum DEO ibi aliquandiu conversari, & ab ipso erudiri debuit in ijs, quæ facere vel docere ipsum oportebat &c. Idem habet Socinus Respons. 1. ad Volanum pag. 40. ubi sabellam istam de novo Christi in caelum adscensu cum raptu Pauli in tertium caelum confert: quod & Osterodius sub finem capitis decimi sexti repetit.

CXIV.

Responsio.

Ita nimirum abyssus abyssum trudit, & error errorem in ijs, qui veritatem monstratam datâ operâ videre nolunt. Nam quomodo Filius hominis venerit de caelo, & tamen in caelo sit, facile intelligunt, qui mysterium Incarnationis Christi nō pro ludibrio habent. Neque enim necesse fuit, Filium hominis ascendere prius, ut descendere posset, quemadmodum hi Christi perduelles absque ulla specie veri, & contra omne piæ antiquitatis iudicium pueriliter ineptiunt; nam etiam tum erat in caelo, quando cum Nicodemo loquebatur.

CXV.

Quis verò præter Socinum tam absurdus est, ut omnia, quæ Paulo evenerunt, argumentando à minori ad majus, ad Christum quoque referat, ex hoc fundamento, ne servus majora videatur adeptus, quam unigena DEI filius? ut iste loquitur. Quod si cum Osterodio dixeris, Christum ante suam mortem in caelum adscendere potuisse, quemadmodum Paulus in caelum raptus fuit: id quidē non negamus, sed in re tam seria à posse ad esse argumentari, ineptissimi disputatoris est. Quod si ulterius fictitiū illum Christi in caelum adscensum ante mortē suam, ad gloriam Christi pertinere dixeris, quod uterque isto-

istorum fraterculorū scribit, nos cum Cassiano respōdemus. *Quidquid de Christo non ita dicitur, sicuti est, etiamsi gloria videatur, ignominia est.* Pro-
bent ergo prius novum illum adscensum ex historia Evangelica : &
tum demum de gloria Christi declamitent.

CXVI.

Est ergo descensus ille de cœlo de manifestatione Dei in carne
intelligendus, & de ea, quæ ipsum subsequuta est, exinanitione maxi-
mâ, qua se, suspenso majestatis sibi communicatæ cœlestis quæ gloriæ
usu, ad infimam nostram miseriam demisit. In quem sensum Athanasi-
us orat. contra Sabellij gregal. hunc descensum exponit *de inclinatione
Verbi ex incorporali majestate ad vilitatē corporis: cū seipsum dederit in corpora-
lē speciem humani generis amore.* CXVII.

Fuit itaq; Filius hominis, (cum ista ad Nicodemum loquere-
tur) in cœlo, ratione arctissimæ Unionis cū λόγῳ, in cujus ἐνώσειον
extra & supra omnia locorum intervalla fuit assumtus: seu, ut Augu-
stinus explicat lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 31. *per unitatem personæ,
qua utraq; substantia unus Christus est, & Filius Dei ambulabat in terra, & i-
dem filius hominis manebat in cœlo: & paulò pòst, Filius hominis qui erat in
terra per carnis infirmitatem, idem ipse erat in cœlo per participatam carni divi-
nitatem.* Descendit autem de cœlis, partim ratione incarnationis, par-
tim etiam exinanitionis suæ, quod alibi fusius declaratur.

CXVIII.

Urgent autem tertio loco dictum Ioh. 18, 37. ubi Christus ad Pi-
latum dicit: *Ad hoc natus sum & veni in mundū, ut testificer de veri-
tate: & Gal. 4, 4. Ubi Paulus dicit, Deum misisse filium natum ex mu-
liere. Hinc colligit Osterodius §. 2. Christum prius fuisse natum, deinde
venisse in mundum: ac proinde ex missione & adventu Christi in
mundum non posse probari divinam ejus naturam.*

Tertia exce-
ptio.

CXIX.

Hoc verò non est interpretari, sed eludere scripturas. Quis e-
nim tam acutus sit, ut ex ordine verborum id colligat, quod Adver-
sarij volunt? Notus est canon Theologorum, quem Rackoviēses et-
jam agnoscunt p. 249. suæ Catecheleos, *scripturam sæpè priorem partem
versiculi vel sententiæ posteriori explicare, id quod in primis in Psalmis est u-
sitatissimū: vide Psal. 5, 6. 6, 5. 7, 7. & passim alios.* Ita hīc, quid sit, *ad
hoc natus sum, statim per ἐπεξήγησιν additur, & veni in mundum, h. e.
cum*

Responsio.



176. eum haecenus in sinu Patris essem ab æterno, tandem in tempore manifestatus som in carne, ad hoc à Patre missus, ut me manifestarem mundo, tanquam semen mulieris promissum, semen Abrahamæ, germen Davidis &c. CXX.

Deinde non negamus, adventum Christi in mundum connotare eius officium, cuius respectu adventum illum nativitate Christi posteriorem esse facile largimur. Et hic eius adventus, qui respectu officij est, vocatur processus ex Patre, *Ioh. 16, 28.* Illud verò solùm hac phrasi non attenditur, quod ex similibus loquendi modis apparet, de quibus supra. Manet ergo etiam attributum immensitatis Domino Jesu intemeratum.

CXXI.

*Omnipotentia
Filij DEI.* Porro *Omnipotentiam* quoque Christo competere, ex multis scripturæ locis liquet. Accipe hic pauca tantùm documēta, *Psal. 24.* extra controversiam de Christo loquitur Ibi appellatur Jehova fortis, Jehova potens in prælio, Jehova exercituum, Jehova virtutum v. 8, 10. De adventu Messiaë vaticinatur *Esaias cap. 40.* ubi inter alia sic scribit v. 10. Ecce Dominus Jehova in robore veniet, & brachium eius dominabitur sibi &c. Christus ipse de se *Matth. 28, 18.* mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Etsi verò juxta humanitatem data sit, præsupponitur tamen divinitas, à qua istam omnipotentiam accepit, & absque cuius unione eius particeps fieri non potuisset. Apud Johannem dicitur Pater omnia dedisse in manum Filij *Ioh. 3, 35.* & omnia tradita esse filio à Patre legitur *Luc. 10, 22.*

CXXII.

Hujus suæ omnipotentiaë specimina satis multa edidit in miraculis, ubi maria, venti, mors & morbi, quin & ipsi diaboli imperanti Christo paruerunt: quod non nisi omnipotentem virtutem arguit, eam nimirum virtutem, quâ æternus Pater omnibus, quæ sunt in mundo, imperat, qua de re Christus ipse dicit *Ioh. 5, 21.* sicut Pater excitat mortuos & vivificat: ita filius quos vult vivificat.

CXXIII.

*Exceptiones
adversariorum.* Sed & huic veritati hæretici nostri virus suum aspergunt. Dicit *Osterodius cap. 13. § 1. & 2.* Nullam in Christo esse virtutem aut potentiam, quanta quanta ea sit, quæ ei data non sit. Et hoc Christum ipsum testari *Ioh. 5, 19.* non potest filius à se facere quicquam, & v. 30. non possum ego à me facere quidquam.

177.
quam. De miraculis quoque testari Petrum, quod Deus per Christum fecerit
virtutes, prodigia & signa. Act. 2, 22.

CXXIV.

Hinc ita colligunt: Virtus & potentia aliunde accepta non arguunt divinam naturam: aliàs & Apostoli Dii essent, nam & ipsi miracula multa ediderunt ex virtute Dei, non suâ. Virtus & potentia Filii Dei, quæ se in operibus ejus exeruit, aliunde est accepta. Ergo non potest inde probari divina ejus natura.

CXXV.

Respondendum est, ambiguitatem esse in phrasi. Nam *aliunde accipere virtutem & potentiam*, interdum idē est, ac prorsus alienâ uti virtute, quam in semetipso non habeat accipiens. Et sic aliunde quid accipitur *donando*. Quo sensu Apostoli alienâ virtute curarunt ægros, Domino coöperante ipsis per subsequētia miracula *Marc. 16. hoc a. sensu minor falsa est*. Ita enim Filius Dei potentiam suam aliunde non accepit, ut in semetipso eam non haberet. Quin potius ipse fuit, in cujus nomine ac virtute Apostoli mira ediderunt opera, quò & remittuntur spectatores miraculi Petrini *Act. 4, 10*. Quæcunque enim Pater facit, hæc similiter & Filius facit *Iob. 5, 19*. quia est æqualis utriusq; majestas ac potestas.

Responsio.

CXXVI.

Deinde aliunde virtutem potentiamque accipiunt, qui non donando, sed *nascendo* eam ab alio habent, ita tamen, ut eorum sit maneatque propria, quemadmodum filius à Patre per nativitatem naturalem accipit animam rationalem, vitam, sensum, motum; quæ omnia tamen in seipso habet: non enim vivit aut movetur patris, sed sua anima: ita & æternus DEI Filius per generationem æternam accepit ab æterno Patre & divinitatem & omnem divinam potentiam, ita ut eam in seipso habeat. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic & dedit Filio habere vitam in seipso Iohan. 5, 26.*

CXXVII.

Quia igitur communis est Patris & Filii essentia ac potentia, ideo rectè dicitur, Filium nihil posse à seipso facere; quæ impossibilitas non est infirmitatis aut imperitiæ, sed necessariæ consequentiæ. Nam ut cum Nazianzeno loquar, *Omnia quæ*

E

Pater

178. *Pater habet, Filii sunt, sicut vicissim quæ Filii sunt, eadem & Patris sunt. Nihil ergo proprium, quia omnia communia: quando ipsum illud esse commune est, & in eodem dignitatis gradu utriq̃. Itaque propter identitatem naturæ & stabilem ejus operationem, quæ aliter se habere non potest, nihil à seipso filius facere potest, nisi quod viderit Patrem facientem.*

CXXVIII.

*Alia exceptio
cum responso.*

Quod Osterodius præterea addit, maximam partem eorum, quæ data sunt Filio, fuisse præmium suæ obedientiæ Patri usque ad mortem præstitæ, ad id supra respondimus *thes. 27. & 28.* Sciat autem adversarius, dona illa majestatica luculentum esse argumentum sublimioris in Christo naturæ. Nunquam enim dominium super omnia cum reliquis ἀξιώματα filio hominis communicari potuissent, nisi in arctissimum complexum cum persona tali venisset, cui ista omnia per se & ex natura sua competere. Sed satis etiam de hoc articulo.

CXXIX.

*Omniscientia
Filii Dei.*

Restat unum adhuc, videlicet *Omniscientia*, quæ Filio Dei iis scripturæ dictis adscribitur, in quibus vocatur ipsa Sapiencia, *Proverb. 3. 19. 8. 22. Luc. 7. 35. 1. Corinth. 1. 24.* quibus dicitur probare renes & corda *Apoc. 2. 23.* nosse omnes, & scire omnia, quæ sunt in homine *Iohan. 2. 25. 16. 30. 21. 17.* Quo pertinet illud Apostoli de Messia *Heb. 4. 13. Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.*

CXXX.

Nihil ferè habent Adversarii, quod his opponant, nisi antiquam illam cramben ex *Matth. 23. 32.* ubi Filius Dei diem judicii ignorare dicitur. Ad quod jam pridem Nazianzenus respondit *orat. 2. de Filio Dei, γνώσκει μὴ ὡς Θεός, ἀγνοεῖν δὲ φησὶν ὡς ἀνθρώπου.* Qua responsione & nos contenti sumus: aliàs quomodo Christus, ut filius hominis ignoraverit diem illum, cum tamen omnes thesauri divinæ sapientiæ in ipso fuerint absconditi, id alterius est considerationis. *Vide Athanas. orat. 4. contr. Arian. fol. 283. seqq. edit. Commeliniana.*

CXXXI.

Manet ergo & hæc argumentorum classis inviolata, Fieri enim

nim

nim non potest, ut is divinam naturam non habeat, in quo naturali-
ter attributa divina reperiuntur, quæ in deitate, non ut accidentia
in subiecto considerantur, sed cum ea simpliciter convertuntur, ita
ut rectè dicere possim; æternus, infinitus, omnipotens & omniscius
in sese est; ergo verus & naturalis Deus est.

CXXXII.

Quartam classem argumentorum petimus ex operibus di-
vinis, quorum quidem quamplurima recenseri possunt, brevitatis
tamen gratiâ duo hic duntaxat attendimus; Unum est *Creatio &*
Conservatio mundi: alterum *Reparatio mundi*, seu *Ecclesiæ collectio*
& defensio: quæ opera quod soli vero Deo competant, nemini pio-
rum dubium esse potest.

4. Argumen-
tum ab operi-
bus divinis.

CXXXIII.

Ira enim distinguitur verus Deus per opera creationis à diis
gentilium *Jerem. 10, 11.* dii, qui cœlum & terram non fecerunt, pe-
reant de terra, & de his, quæ sub cœlo sunt: & qui omnia creavit,
Deus est *Hebr. 3, 4.* Sic & Deus est, qui dat doctores justitiæ *Joel.*
3, 23. idoneis donis eos instruit *1. Corinth. 12, 6.* ministerio ipsorum
benedicit *Esa, 55, 11.* Ecclesiam colligit, & novos motus in cordibus
credentium excitat *Ezech. 36, 26.*

CXXXIV.

Eadem opera tribuuntur Filio Dei. Per quem omnia facta
sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum est *Iohan. 1, 3.*
per quem consistunt omnia *Col. 1, 17.* qui portat omnia verbo vir-
tutis suæ *Hebr. 1, 3.* Sic & gubernatio Ecclesiæ Christo accepta
fertur, qui pro sua in omnes potestate emisit discipulos in uni-
versum mundum, prædicatum Evangelium omni creaturæ *Matt.*
cap. 28. Marc. 16. & jam postquam in cœlum ascendit, dedit dona
hominibus, constituens quosdam Apostolos, quosdam Prophe-
tas, alios Evangelistas, alios Pastores & doctores, ad consumma-
tionem sanctorum &c. *Eph. 4, 11.* Summa: Pater meus operatur,
inquit Christus *Ioh. 5, 17.* & ego operor, & quæcunque Pater facit,
similiter & filius facit *Ioh. 5, 19.*

CXXXV.

Negare non possunt Adversarii, hæc & similia multa de Christo
prædicari in scriptura: idcirco & hic elusiones suas excogitarunt:

Exceptiones
Adversariis.

E 3.

Obji.



Objicit 1. Osterodius cap. 11, §. 1. *nuppiam vocari Christum creatorem mundi, sed tantum dici, quod omnia per ipsam facta sint, quo notetur, ipsum rerum conditarum non primam, sed secundam causam esse, cumq; hoc ipso à DEO distingui. Nam quia DEVS per Christum omnia condidit, ideo Christum non posse esse ipsum DEVM. Eadem terè habent Rackovienses pag. 87: & 139.*

CXXXVI.

Responsio.

Nos verò opponimus 1. dictum *Psalm. 102, 26. Initio tu Domine terram fundasti, & cœli sunt opera manuum tuarum; quod Hebr. 1, 11. ad Filium refertur: De eodem directe dicitur Apocalyp. 4. Tu creasti omnia. Et Jehovah, cui curvabitur omne genu, est Filius Dei, interprete Apostolo Roman. 14, 11. de illo vero Jehovah scribitur, quod extendat cœlos solus Esa. 44, 24. Habemus ergo testimonium, quod Filius etiam dicatur creator mundi. 2. Falsum est, quod Christus tantum dicatur creationis causa secunda, non prima: nam generale est illud Christi *Iohan. 5, 19. quæcunque Pater facit, similiter & Filius facit, eadem ergo potentia operatur & Filius. Non enim ideo similiter, quod operum sit similitudo, sed quod utriusq; par sit facultas, parq; majestas, inquit Gregor. Nazianzen. lib. 4. Theol.**

CXXXVII.

Quod autem dicitur Deus per filium creasse omnia, eo non causarum diversitas, sed agendi ordo notatur. Non enim Deus per filium agit, tanquam per instrumentum, sed tanquam per substantialem suam virtutem & potentiam 1. *Cor. 1, 24.* Est igitur hic usus hujus particulæ, ut distinguatur Filius à Patre, non ut creatura à Deo, sed ut persona à persona, & ut ordo divinarum actionum indicetur. Pater enim agit propria virtute, ut primum principium & fons divinarum actionum. Filius etiam agit propria virtute, sed tamen præeunte Patris voluntate, non quidem tempore, sed personarum ordine.

CXXXIIX.

Aliàs, si hæc præpositio PER semper notaret causam secundam, etiam Pater esset causa secunda multarum actionum appellandus: nam per Deum Patrem vocati sumus in consortium sanctorum 1. *Cor. 1.* & Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris *Rom. 6.* Paulus Apostolus vocatus est per Deum Patrem *Gal. 1.* & quæ sunt his similia.

Deinde

Deinde objiciunt Adversarii, *scripturam in illis dictis, in quibus per Filium dicuntur omnia facta, non agere de creatione, sed reparatione mundi: ac proinde particulam universalem, omnia, restringendam esse ad ea, quae ad Evangelium pertinent, sicut 2. Cor. 5, 17. nova facta sunt omnia, ubi tamen non de omnibus promiscuè agitur, sed de omnibus per Christum restauratis.* *Alia exceptio.*

CXL.

Sed si maximè ita esset, nihil tamen hoc detraheret divinæ in Christo naturæ. Est enim hoc quoque argumentum deitatis Christi, quod ipse reconciliavit Deo Patri mundum, siquidem opus tam divinum est, reparare perditum, quam parare vel creare nondum existentem. Et, ut Ambrosius loquitur, quod in natura periit, non restituitur, nisi per naturæ autorem. Idcirco Jehovah de se clamat. Ego sum, ego sum Jehovah, & absque me non est salvator *Esa. 43, 11.* & iterum. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas &c.

Responsio.

CCLI.

2. Deinde verò constat ex textibus allegatis, quod scriptura illis in locis non agat de opere Redemptionis, sed creationis simpliciter omnium. Nam apud Johannem, cap. 1. disertè additur, ita per Christum facta esse omnia, ut absque eo factum sit nihil, quod factum est. Et quæ v. 3. vocantur omnia, v. 10. voce mundi exprimentur, & ejus quidem mundi, qui Christum non agnovit. Creatio v. secunda eorum est, qui Christum agnoscunt, & vera fide apprehendunt, Præterea, ne ullum relinquatur dubium, de qua creatione agatur, D. Paulus *Col. 1, 6.* per *διορισμὸν* explicat, quænam sint illa omnia, quæ per Christum condita sunt, universa nimirum, quæ in cælis & in terra sunt, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum facta sunt.

CXLII.

Postremo loco objicit Osterodus: *quod scriptum est, Deum per Filium condidisse secula Hebr. 1, 2. non aliter intelligendum esse, quam quod Deus vitam æternam, seu novum mundum, qui & venturus mundus appellatur Hebr. 2, 5. per filium paraverit, qui propterea Pater futuri seculi appellatur Esa. 9, 6. Idem habet Catechesis Rackoviensis pag. 95.*

E 3

Rcsp.

Responsio.

CXLIII.

Resp. In græco legitur, per filium conditas esse *αιῶνας*, quam vocem vetus interpres reddidit *secula*: & hanc versionem retinent nostri hæretici, quia in ea latibulum aliquod suarum elusionum sibi reperisse videntur. Sciendum autem est, vocabulum *αιῶνος* sæpissimè in scriptura significare totum hoc universum, seu mundum ad spectabilem: loca hic plurima studio prætereo: unicum saltem adfero ex eadem epistola *cap. 11, 3.* quem Adversarii negare non possunt, de creato hoc mundo, in quo vivimus, accipi debere. Ita enim ibi Apostolus, *fide intelligimus aptata esse secula, τὰς αιῶνας, verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

CXLIV.

Studio autem in articulo creationis scriptura vocabulo *αιῶνων* uti voluit, ut ostenderet, omnia simpliciter, quæ extant, extiterunt aut extabunt in mundo quocunque seculorum decursu, à Deo esse condita.

CXLV.

Quod verò *Heb. 1, 2.* agatur non de futuro, sed præsentis mundo, inde probamus, quod Apostolus majestatem Filii Dei, per quem postremis temporibus Deus nobis locutus est, diversis argumentis, magnâ partè, ad hoc seculum pertinentibus, probare voluit, futuri v. seculi ne verbo quidè m eminit. Argumenta hæc sunt: 1. quia hæres omnium à Patre constitutus fuit ab initio, siquidem omnium rerum possessor ab omni æternitate fuit. 2. quia secula condidit, h. e. hoc universum, in quo Deus sapientiæ potentiæque suæ divinæ radios visendos præbuit, teste Paulo *Rom. 1.* 3. quod sit splendor gloriæ Patris, & character suæ hypostaseos, id quod de nulla creatura dici potest. 4. quod sustentet omnia verbo potentiæ suæ. 5. quod sit redemptor omnium: & quæ sunt his similia. Nulla syllaba ex rationibus allegatis doceri potest, Christum æternæ vitæ autorem esse, sed ut præsentis seculi seu totius mundi conditor introduci debuit, unde ejus majestas & potentia in primis eluxit.

CXLVI.

Quæ præterea objiciunt Rackovienses contra hunc locum, studio prætereo, partim quia ab aliis jam satisfactum est, partim quia ex iis, quæ jam diximus, facili negotio expediri possunt. Nolo autem vel actum agere, vel commentarium scribere, quocir-
ca eam

ea eam, quæ restat, argumentorum classem saltè subijciam, & de-
hinc primo capiti nostri instituti finem imponam.

CXLVII.

Depromitur autem ea à cultu & honore, qui Filio Dei <sup>s. Argumen-
tum à cultu di-
vino.</sup> omnium seculorum decursu tributus fuit, & ab Adversariis quo-
que magnam partem ei non denegatur. Hic est cultus adorationis,
invocationis, dilectionis, timoris, spei, fiducia in adversis, & in ex-
tremâ tandem mortis horâ.

CXLVIII.

Hunc honorem soli vero & naturali Deo deberi, nemo pio-
rum dubitare debet, & scriptura hoc pleno ore fatetur. Nam, quod
cultum adorationis & invocationis attinet, certè is Deo in solidum
acceptus ferrur *Deut. 6, 1.* Dominum Deum tuum adorabis & ei soli
servies, interprete Christo *Matth. 4, 10.* Fides quoque soli Deo debe-
tur: maledictus enim, qui confidit in homine, & ponit in carne
brachium suum *Jerem. 17, 5.* Idcirco D. Paulus & fidem & invocatio-
nem conjunxit *Rom. 10, 14.* quomodo invocabunt, in quem non cre-
diderunt? Et in genere dicit Dominus, quod honorem suum non
sit daturus alteri *Esa. 42, 8.*

CXLIX.

Jam verò restatur scriptura, quod Filio Dei quoque ho-
nor divinus debeat. De honore in genere dicit ipse Filius:
Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium,
sicut honorant Patrem *Iohan. 5, 22.* De adorationis cultu habe-
mus præceptum *Psalms 97, 8.* adorent eum omnes angeli, qui lo-
cus ad Christum refertur *Hebraeor. 1, 16.* habemus exempla sancto-
rum *Matth. 15, 22. 20, 30. Luc. 24, 52.* habemus exemplum totius
triumphantis Ecclesiæ *Apocalyp. 5.* habemus & testimonium i-
psorum Rackoviensium, qui Christianos eos esse negant, qui
Christum non adorant *pag. 17.*

CL.

De cultu dilectionis notum est fulmen Apostolicum *1. Cor. 16,*
22. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit a-
nathema maranatha. De cultu timoris & reverentiæ agit *Psalms*
2, 11. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: ocu-
lamini filium, ne quando irascatur Dominus. De cultu spei
& s-

& fiducia notum est illud Christi *Ioh. 14. 1.* creditis in Deum, etiam in me credite. & exemplum Stephani jam moribundi, qui Domino Jesu sanctis cum suspiriis spiritum suum commendabat *Act. 7. 59.*

CLI.

*Exceptiones
Adversarij.*

Ad illud Mosaicum, Dominum Deum tuum adorabis *Deut. 6.* respondet Oster. cap. 14. 1. rectè dici, Domino Deo tuo soli servies, quia tum. cum hoc mandatum daretur, Christus nondum erat. 2. per honorem Christo exhibitum mandatum illud non tolli, nam qui Christum honorat, eum etiam honorare Patrem, non quasi Christus verus Deus sit, sed quia honor Christo exhibitus ad honorem Patris tendit. 3. honorem cultumq; omnem, qui Filio exhibetur, ei datum esse, quod probat dictis scripturae *Iohan. 5, 22.* *Philip. 2, 9.* ergo inde probari non posse, quod sit verus DEVS: hinc honorem suum aliunde non accepit, sed in se & natura sua habet.

CLII.

Responsio.

Sed ad has elusiones facili negotio responderi potest, si attendantur ea, quæ jam supra diximus, & ex scriptura probavimus. In prima exceptione est petitio principii: Christum enim jam fuisse ab initio mundi, constat ex superioribus. Et si ratio Adversarii militaret, quomodo potuisset Christus illa verba allegare contra Tentatorem suum *Matth. 4, 10?* Stat ergo nostrum argumentum: Cui servitia cultusq; nostros debemus, is verus Deus est. Christo servitia cultusq; nostros debemus. Ergo.

CLIII.

In secunda exceptione est fallacia causæ. Non enim i- deo honoratur in Christo Pater, quia honor Christi ad honorem Patris tendit (ita enim in omnibus sanctis honoratur *Matth. 5, 17.* *1. Petri cap. 2, 12.* necesse autem est, ut etiam respectu cultus & honorum discrimen sit inter Christum & sanctos) sed quia ejusdem est cum Patre essentia: idcirco talis ei honor tribuitur, qui nequaquam sanctis, sed soli DEO competit, qualis est fides & invocatio.

CLIV.

Tertia exceptio etiam nihil probat. Nam honor ille datus est Filio vel ab æterno, & sic essentiam ejus non destruit, sed adstruit: quia cultus ille divinus cum divina cohæret essentia, idcirco nulli

185.
nulli tribuitur, qui essentiam divinam non habet: vel datus est ei in tempore, secundum carnem, qui in consortium gloriae cultusque divini venit, postquam in ipsius *κοινωνίᾳ* communionem assumpta fuit.

CLV.

Et hoc pacto jam pridem istis Christi perduellibus respondit D. Athanasius orat. 4. in Arian. Nam si quis scire velit, cur Filio etiam ab aeterno dicantur esse tradita omnia, respondet fol. 278. Ne quis videns filium habere omnia, quaecumque Pater habet, ex indiscreta similitudine eorum, quae habentur, Sabelliano more deceptus impie sentiat: existimetque Filium etiam Patrem esse: ea de causa hoc verbum prolatum est, Datum est mihi & accepti: & traditum est mihi: nulla alia de causa, quam ut ostenderet se Patrem non esse, sed Patris verbum, & aeternum Filium: qui quidem ob similitudinem Patris quaecumque habet, perpetuo ab eo habet.

CLVI.

Vicissim de datis Christo in tempore ita scribit fol. 279. Cum ista verba calumniantur: Data est mihi potestas; & glorifica filium: dictumque item Petri, Data est illi potestas: hoc intellectu ista omnia interpretamur, humanitus illum ob corpus suum ista omnia loqui, non quod necessitate adigeretur: sed tamen ipse sibi quasi data consistetur, quae humanitus acceperat, ut eo, qui Dominus erat, accipiente, & in ipso donatione istarum rerum residente gratia ipsa firma permaneret.

CLVII.

Libenter itaque largimur, & ut canonem Theologicum observamus, Eum solum colendum esse divino cultu, qui divinam majestatem & potentiam super omnia habet: hoc enim est nostri cultus fundamentum: unde autem *ἀξιώματα* & dignitatem illam habeat, in hac disputatione non attenditur.

CLVIII.

Ad locum Esa. 42. gloriam meam alteri non dabo, excipit Osterod. loco dicto 1. illud (Alteri) oppositum esse non ijs, qui ad DEVM pertinent, his enim honorem DEI promissum esse, Rom. 3. 2. 1. Thess. cap. 2, 12. 1. Petr. 5, 10. Apoc. 3, 21. & 21, 11. sed idolis, quae à Deo per omnia sunt aliena, idcirco mox addere Prophetam, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Idem habent Rackovienses in Catechesi p. 145. 2. phrasin, Non dare, in scriptura interdum idem esse ac non permittere, sensum ergo esse, Deum non permissurum, ut cultus sibi debitus, idolis adscribatur, ipsum autem ex li-

De loco Esa.
42. gloriam
meam alteri
non dabo.

F

berta-

*Veritate voluntatis suæ eum communicare posse cui voluerit. 3. DEUM illo et-
 Et hoc saltem indicare, se nemini ita suum honorem commissurum ut ipse eo spo-
 lietur: id verò in Christo metuendum non esse, in quo Pater magis magisq;
 honoretur.*

CLIX.

Sunt autem hæc mera ludibria Diaboli, qui per sua organa
 Numini divino nequiter insultat. Primum enim manifestum
 est ex loco Prophetico, Deum indefinitè omnibus, qui à se sunt
 alteri, hoc est, à naturâ suâ penitus alieni, honorem suum ab-
 negare, aliàs liceret etiam Angelos & sanctos adorare, quia hi vel
 maximè ad DEUM pertinent. Idem constat ex loco parallelo
Esa. 48, 12. ubi indefinitè dicit Dominus, propter me propter me
 faciam, ut non blasphemem, & gloriam meam alteri non dabo:
 quod in capit. 42, ad idola in specie applicari non imus inficias:
 ideò autem ijs seorsim abnegatur, quia, etiamsi loco veri DEI
 colantur, cū natura tamen veri Dei nihil prorsus habent commune.
 Unde sequitur, eos, quibus honor cultusque divinus competit,
 in communionem divinæ naturæ venire debere.

CLX.

Quod autem additur, DEUM fideles in commercium sui
 honoris admittere, vel, ut Osterodus loquitur, *Daß er alle die
 an Christum glauben / seiner Ehren theilhaftig zu machen zugesagt
 hat / id rectè intelligendum est.* Nam dicta allegata loquuntur
 non de cultu divino, de fide, Invocatione, spe, & similibus virtu-
 tibus, quæ in solum DEUM feruntur, sed vel de gloria DEI, qua
 se manifestavit in Ecclesia; quo sensu Israelitarum dicitur esse *doξα
 ηγι υθεσια* & c. *Roman. 9, 4.* vel de gratia & beatitudine DEI, qua
 fruuntur electi in vita æterna: quo sensu *1 Petr. 5, 10.* scribitur, nos
 vocatos esse in æternam DEI gloriam in Christo Jesu: ideò descri-
 bitur gloria electorum per sessionem in throno Dei *Apo. 3, 21.* nihil
 autem hoc ad cultum Dei, quo afficitur à sanctis in hac & futura vita.

CLXI.

Altera exceptio manifestam habet petitionem principij. Hoc
 enim in quæstione est, an DEUS ex libertate arbitrij sui possit
 cultum sibi debitum alteri, qui DEUS non est, concedere. Hoc
 ipse ait se non facturum, neque id facere potest, vi suæ immutabili-
 tatis,

tatis, hoc enim esset semetipsum abnegare, & fasces divinæ majestatis & potentia, à qua cultus ille divisus non est, creaturis ad tempus committere: quod de Deo affirmare impium prorsus & blasphemum est.

CLXII.

Tertia semetipsam evertit. Nam si Deus cultum sibi soli debitum creaturae à natura sua prorsus alienæ confert, eo ipso se isto cultu spoliari patitur. Fieri enim non potest, ut cultus planè divinus in duo prorsus heterogenea objecta feratur: ideo ne quidem angelus cultum adorationis ferre potest, ex nullo alio fundamento, quàm quòd Deus non sit, *Apoc 19, 10, 22, 9,* Quæ verò hic de carne Christi obijci possunt, in ipso disputationis actu explicari poterunt.

CLXIII.

Hæc Osterodius in genere argumentis à cultu divino petitis obijcit: quæ, quàm vana sint, ex jam dictis liquet. De fide in specie quædam addit *cap. 15,* & in primis loco *Ierem. 17. maledictus qui confidit in homine &c.* opponit ea loca, ubi legitur, homines et jam in Mosen & Prophetas credidisse, ut *Exod. cap. 19, 9. 14, 31. 2. Paralip. 20, 20.* 2. addit, *apud Ieremiam hoc saltem prohiberi, quando quis proprijs suis vel alterius hominis viribus confidit, & per fiduciam istam cor suum à DEO avertit: qui verò Christo confidunt, non avertunt cor suum à DEO, sed confidunt virtuti divinæ, quæ in Christo est.* Idem habent Rackovienses l. d.

De loco Ieremie cap. 17. maledictus qui confidit in homine.

CLXIV.

Ad primum respondeo. Etsi non negamus, allegata dicta in Hebræo habere particulam Beth, in, tam cum de Mose & Prophetis, quàm cum de DEO agitur: sciendum tamen est particulam illam non semper notare adfectum fiducia, sed tum demum, quando objectum, illius fiducia est habile, quod extra DEUM nemo est. Idcirco cum de hominibus usurpatur, non nisi notitiam & assensum fidei notat, & in latino per Dativum rectè redditur, *crediderunt Mosi & Prophetis,* quemadmodum & LX X. in sua versione habent, hoc est, fidem habuerunt illis, quæ nomine DEI à Mose annunciabantur. Verisimile enim non est, DEUM honorem sibi soli debitum ita fuisse partitum, ut partem ejus sibi, partem aliam ministris suis tribueret.

F 2

Ad



CLXV.

Ad alterum dico, si verum esset, quod de Christo dicunt adversarij, idem etiam de sanctis alijs affirmare possem, nimirum non peccare, qui fiduciam suam in sanctos ponunt, quia in sanctis est virtus DEI. Falsum autem hoc est. Neque enim is in quo DEI virtus sese exerit, statim divino honore afficiendus est: alijs non homines solum, sed & creaturæ aliæ in hoc divinæ dignitatis consortium venient. Et certum est, Antichristos nostros nunquam satisfacere posse Pontificiorum objectis de cultu sanctorum, nisi fundamenti loco hoc posuerint, neminem divino cultu dignum esse, nisi qui vel essentialiter vel personaliter divinæ particeps est naturæ.

CLXVI.

Porro dictum Joh. 14. *Creditis in Deum & in me credite*, hoc pacto arrodunt nostri Christomachi, ut dicant, *Christum aperte inter se & Deum distinguere, ergo ex illo loco non posse divinam Christi essentiam probari.* Deinde Oosterod. in specie addit cap. 15 §. 2. *nos ideo in Christum credere, non quod Deus sit, sed quia per Christum ad Deum perducimur: idcirco Christi ipsum dicere Joh. 12, 44. qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.*

CLXVII.

Sed enim, quod Christus inter se & Deum distinguit, id non divellit Christum & Deum, quoad naturam & essentiam, sed discrimen saltem personarum ostendit. Alias manet canon noster adhuc immotus, quod objectum fiduciæ nostræ solus Deus sit. Deinde quo sensu Christus dicat, *qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, facile extextu intelligitur. Voluit enim Salvator externam carnis suæ humilitatem, qua Judæi offendebantur, autoritate Patris mittentis tegere, & docere, omnem sibi collatam vel ignominiam vel gloriam in Deum Patrem redundare, propter identitatem essentiæ, ex qua tota majestas æterni Patris resplendeat. *Ideo, ne putarent, hoc eum esse tantummodo, quod videbant, talem ac tantum se voluit credi, qualis & quantus est Pater*, inquit Augustinus

CLXVIII.

Est autem hic modus loquendi Christo non inusitatus, quando infirmitati humani sui aspectus autoritatem aliquam conciliare voluit. Ita hoc in cap. 12. verbis allegatis statim addit, *qui videt me, videt eum qui misit me*, & Marc. 9, 37. *qui me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.* Ubi nemo tam ineptus erit, qui existimarit, Christum
his

169.
his in locis sibi ipsi contrarium fuisse, ita ut posteriori membro sibi
adimat, quod priori dedit. CLXIX.

Tantum itaq; abest, ut hæc verba divinitati Christi obsint, ut eam
potius solidissime & tantum non ex professo confirmet. Nihil enim
aliud facit Christus, quam ut Judæis aliquid sublimius in se osten-
dat, quam illi oculis adsequebantur. Dum enim ultra humanam su-
am naturam assurgere non poterant, eoq; nomine ipsum adsperna-
bantur, ipse splendorem divinæ suæ majestatis eis obtendit, indi-
cans, qui credat in eum, non in nudum credere hominem, sed simul
in ipsum Deum Patrem, cui ipse coæternus & coessentialis sit Filius. In
quam sententiam multa vide notatu digna apud *Augustinum tract. 54.
in Iohan.* CLXX.

Quapropter, ut Athanasius quondam in re simili Arianos allo-
quebatur orat. & ita nos conclusionis loco Photinianos nostros: *Chri-
stiani sumus, ô Ariani (Photiniani) Christiani inquam sumus, & proprie ad nos
pertinet benè ex Evangelio de Salvatore sentire, neq; cum Judæis eum lapidare,
si eum de divinitate & æternitate sua audiamus loquentem: neq; unà cum illis
scandalizari, ubi, ut homo, nostri causa humilibus utitur verbis. Si igitur & vos
vultis Christiani esse, deponite vesaniam Arii, (Photini) vestrasq; aures sorden-
tes blasphemiarum verbis, eluite pietatis sermonibus, &c.*

CAPUT ALTERUM.

De Æterna Generatione Filij Dei à Patre.

CLXXI.

Nunc ad alterum Caput inter nos & Photinianos controversum
progredimur, quod est de æterna generatione Filij à Patre, ex qua
suam habet cum æterno Patre *ὁμοσίαν ἡς ὁμοθυμίαν*. Et hinc Deus
Pater Domini nostri Jesu Christi, & Jesus Christus filius Dei dicitur,
quod à Patre ab æterno genitus est.

CLXXII.

Antequam autem thesin nostram probemus, duo hic monen-
da sunt. Unum est, quod Adversarij hac Phrasi, *Deus genuit Filium*, e-
iam uruntur. Ita enim *Gratianus Prosper* (seu *Faustus Socinus*) in *Intr.
doctrinarum Aristotelico pag. 95. Deum genuisse Filium dicimus cum vul-
go*. Neque aliter possunt, siquidem Scriptura expresse Christum vo-
cat unigenitum Dei filium *Johan. 1. & 3.* Idcirco *Osterodius cap. 7. in-
stitur. §. 2. & 3. pag. 32. & 33.* non vulgus, sed Scripturam dicere affir-

F 3

mat,

pat, Christum esse DEI Filium, & Deum genuisse Christum.

CLXXIII.

Ita verò intelligunt hanc phrasin, non, quod Pater ab æterno divinam suam essentiam & potestatem Filio communicaverit, sed, quemadmodum Osterodius explicat cap. 40. §. 7. p. 381. quod Christus per decretum DEI & inaugurationem in regnum filius DEI factus, & à DEO genitus sit, & hanc ipsam inaugurationem nihil aliud esse, quàm quod Deus ipsum filium suum effecerit & genuerit. Idque ex Psalm. 2. probare conatur, de quo postea.

CLXXIV.

Alterum, quod hîc monendum erat, est de phrasi, qua Ecclesia orthodoxa de generatione Filij utitur. Sunt enim qui ab istâ phrasi prorsus abstinendum esse censent: *Deus Pater ex substantia sua genuit filium*; in cuius locum substituerunt illam; *Pater ab æterno in unitate essentiae, ex sese genuit filium*. Vide Franc. Junium, qui rejecta priorè, hanc posteriorem recipit, part. 1. Exam. Gratiani Prosperi, in opere Theol. part. 2. fol. 253.

CLXXV.

Sciendum autem est, ἀνεβοτέρας quidem dici, Patrem in essentiae unitate genuisse Filium, & Filium ex Patre genitum esse: interim tamen non errant, qui dicunt, Filium ex substantia Patris genitum esse; ita enim loquitur Ecclesia ex Athanasio orat. 4. contr. Arian. τὸν ἴδιον λόγον ἐξ αὐτῆς φύσεως ἁγνῶν ἔπεβδελύτα pag. 296. edit. Commelin. & pag 298. τῆς ἁσίας πατρὸς ἴδιον γέννημα vocatur. Et in lib. de syn. Arimini & Seleuc. fol. 701. Synodus (Nicena) ne quis suspicaretur, has voces, *Ex DEO*, ita de Filio accipi, ut de creaturis accipiuntur, clarius rem expressit, scribens, *Filium ex substantia DEI esse*. Imò in symbolo Athanasij vocatur hæc recta fides, quod credimus, *Christum esse Deum ex substantia Patris ante secula genitum*. Non autem intelligitur generatio illa ex substantia, de productione ex materia, sed de intima & perfecta ipsius divinæ essentiae, ubi materiae nullus locus est, communicatione.

CLXXVI.

Testimonia
Scripturae de
æterna Filij
generatione à
Patre.

Quod igitur Filius DEI ab æterno à Patre sit genitus, verus Deus de DEO vero, lumen de lumine, ut Synodi Nicenæ Patres loquuntur, nolumus rationis nostræ iudicium sequi: ex eo enim fas non est servo, de natalibus Domini sui disputare, ut Hieron. alicubi scribit: sed scripturam consulamus, in qua quantum nobis de hoc mysterio scire convenit, sufficienter reperitur.

Produci-

Producimus itaque primum, classicum illum locum *Psal. 2. De loco Psal. 2.* quem immediate de Christo agere, testes habemus omni exceptione maiores, Apostolos Christi *Act. 4, 25. Hebr. 1, 5. & 5, 5.* Ibi ergo tu, &c. Deus Pater Messiam Regem Sionis ita alloquitur: *Filius meus es tu, Ego hodie genui te Psal. 2, 7.* CLXXVIII.

Quod hic de æterna generatione Filij agatur, manifestum est ex textu. Nam juxta allegationem Apostolicam Novi Testamenti, alloquitur hic æternus Pater non Davidem, sed Christum, quem vocat filium suum; filium non adoptivum, sed naturalem, ideò dicitur genuisse ipsum: filium item sibi essentia & majestate æqualem, quia absurdum est, Deum gignere filium à natura vel essentia sua diversum: idcirco in hoc ipso Psalmo hunc Filium, ut verum & essentialem DEUM sibi *ὁμοῦρον & ὁμόλυον* introducit, dum beatos omnes prædicat, qui confidunt in eo v. 13. qui honor fiduciæ nulli creaturæ, sed soli vero & æterno DEO competit, ut supra probavimus *th. 144.* unde sequitur, generationem quoque æternam esse: nam qualis filius, talis est generatio, ex natura correlatorum.

CLXXIX.

Hinc intelligimus, quod illud *Hodie* non de temporis articulo, sed de æternitate accipiendum sit, partim quia æterna est generatio, ut modò probavimus, partim quia apud Deum non est heri nec hodie, sed perpetuum *Nunc*, & dies æternitatis, siquidem intra arcum DEI sinum, nihil creatum, ergo nec tempus; sed perpetua æternitas.

CLXXX.

Contradicit hic Osterodus in Institutionibus c. 7. §. 3. p. 53. ubi contendit, *Psalmum hunc nihil habere de æternitate Filij; nullius enim hic æternitatis mentionem fieri, sed certi die tempus nominari; Hodie, vel hoc ei die, quod ipsi æternitati manifestè repugnet.* Exceptio Osterodi.

CLXXXI.

Si quæras, quinam sit ille certus dies, quo Christus fuerit genitus à Patre? respondet ulterius pag 54. *esse diem resurrectionis per quam Christus manifestatus & declaratus Dominus omnium: idque probat 1. autoritate Calvini, qui eodem modo hunc Psalmi locum interpretatur, & interpretationem Augustini de æternitate & aliorum argutiam frivolam appellat. 2. loco scripturæ, Act. 13, 33. ubi dictum Psalmi ad resurrectionem Christi refertur. 3. ratione: nam cum Psalmus vaticinetur* de

192 de Christo, non potest, inquit, de æterna Christi generatione intelligi, quia vaticinia sunt non de præteritis, sed futuris.

CLXXXIII.

Verum enim verò, quod Calvinum attinet, impietatem ejus non ignoramus: & nimis verum est, ipsum hoc in genere cum Photinianis easdem inflare tibias, dum hunc insignem Psalmi locum primùm de Davide exponit, quem à Deo genitum dicit, eo die, *cum electus & rex populi constitutus fuit*, contra manifestam Apostolorum interpretationem: deinde verò ad Christum refert, eumq; more Photiniano explicat. Et certum est, eos, qui Calvini glossam sequuntur, objectioni huic Adversariorum satisfacere non posse, quemadmodum ex defensione fidei à Jacobo ad Portum Bernate Osterodij Institutionibus opposita videre licet *cap. 9. pag. 66.* Sed hæc impietas, & ἀπειθευσία Calvini & Sociorum nō obesse potest tam manifestæ veritati.

CLXXXIV.

Deinde *Act. 13. v. 33.* locum hunc ad resurrectionem Christi referri, non imus inficias, nihil autem hoc facit ad evertendam æternam generationem Fili DEI. Sciendum enim est, DEUM id, quod ab æterno factum est, hoc est, quòd filium sibi consubstantialem genuit, in tempore hominibus & toti mundo revelasse, Filiumq; suum hoc pacto, ut verum & æternum DEUM declarasse: unde mirum non est, quod dictum Psalmi de æterna generatione Filij loquens, ad res illas applicatur, per quas facta est tanti mysterij revelatio.

CLXXXV.

Revelavit autem Deus hoc mysterium tribus potissimum modis. 1. In Baptismo Christi, ubi fit ejus ad officium sacerdotale & Propheticum inauguratio; idcirco ibi quoque hæc Psalmi verba repetuntur, Hic est filius meus dilectus *Matth. 3, 17.* ut nimirum audiatur, non ut *ψιλὸς ἀνθρώπων*, sed, ut verus & naturalis Deus à Patre genitus.

CLXXXVI.

2 Altera revelatio facta est in Resurrectione, per quam declaratus fuit filius DEI, dicente Paulo *Rom. 1, 4.* ideo *Act. 13.* cum resurrectionis Christi mentionem fecisset, allegavit hoc Psalmi dictum, ut constaret, ex resurrectione sua Christum fuisse agnitum, non adoptivum DEI Filium, sed filium à DEO ab æterno genitum, adeoque Patri æterno *ὁμοῦσιον.*

3. Postrema

3. Postrema revelatio deitatis Christi facta est Ascensione in cœ-
los, plenaque usurpatione majestatis ac potentia suæ; de qua cum a-
geret Apostolus in Epistola ad Hebræos, duobus in capitibus, testi-
monij loco iterum adduxit hunc Psalmi versiculum: Primum Heb.
cap. 1, 3. *Christus purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maje-
statis in excelsis, tantò melior factus angelis, quantò præstantius nomen præ illis
hereditavit. Cui enim angelorum dixit; filius meus es tu, hodie genui te. De-
inde Hebr. 5, 5. Christus non semetipsum gloria afficit, ut fieret summus Ponti-
fex, sed qui dixit ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te &c.*

CLXXXVIII.

Ex his omnibus liquet, tantum abesse, ut allegationes Apосто-
licæ dicti Prophetici obsint æternæ generationi filij Dei, ut eam po-
tius solidè confirmet. Nonquam enim filius à Patre ab æterno ge-
nitus declarari potuisset, nisi talis prius fuisset. Perperam itaque con-
cluditur: Declaratus fuit filius Dei genitus à Patre, ergo talis non
fuit: invertendum potius est argumentum. Declaratus fuit Christus
Dei filius à Patre ab æterno genitus: ergo fuit ab æterno patre geni-
tus. Nam ab Est tertij adjecti ad Est secundi adjecti valet consequen-
tia, cum accidens positivum de subjecto prædicatur.

CLXXXIX.

Quod autem dicunt, vaticinia esse de rebus futuris non præte-
ritis, libenter largimur: verum, quod æterna generatio Filij dici de-
beat præterita, id pernegamus. Nam ut ante diximus, in æternitate
neque præteritum neque futurum est, sed Nunc perpetuum. Idcirco
Psalmi dictum respectu ejus quidem vaticinium est, quod Filius Rex
Sionis constitutus dicitur: quod autem genitus à Patre, id non vati-
cinium est, sed descriptio subjecti, ut constet, quàm sublimem Eccle-
sia Regem habeat.

CXC.

Sed satis de loco Psalmi secundi. Alius est Prov. 8, 22. quem
& supra habuimus, ubi sapientia cœlestis de seipsa loquitur: Dominus De loco Prov.
possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, à principio. 8. Dominus
Ubi notanda est Hebræa vox ׀׀׀׀ quæ per generationem aliquid possedit me
possidere & acquirere significat, sicut supra exemplo Genes. 4, 1. 0- &c.
stendimus. Illa verò possessio facta est à principio, & antequam quid-
quam

194 *quam faceres.* Tunc autem sempiterna fuit aternitas: Nam in & cum tempore Deus coepit operari ad extra.

CXCI.

Simile testimonium est v. 24. *Nondum erant abyssi, & ego concepta sum:* ubi in Hebræo est *אֵינִי וְיָרֵחַ* quæ vox de formatione fœtus in utero accipitur *Psal. 51, 6.* hic autem *ἀνθρώπων* de filij DEI generatione usurpatur, quia de rebus divinis non nisi vocabulis humanis loqui possumus.

CXCII.

Exceptio Advers. cum Responsione. Quod si excipiant Christi perduelles, non agi hic de Filio DEI, sed de sapientiâ creatâ: repeto primùm ea, quæ supra diximus *thes. 90* deinde addo, quod hic extra controversiam, de sapientia DEI agatur, & quidem non quatenus ad creaturas ad extra progreditur; sed quatenus in DEO consideratur. Talis autem sapientia DEI est vel attributum DEI essentielle, vel *ὁφισμίμων*. Attributum Dei esse non potest; illud enim generari & formari non dicitur: ergo est *ὁφισμίμων*, seu Filius Dei, quam sapientiam Dei appellari notum est ex dictis *Luc. 7. 1. Cor. 7.* supra laudatis.

CXCIII.

Hinc institutum nostrum ita obtinemus: sapientia DEI est à DEO formata & genita ab initio, antequam abyssi essent, hoc est, ante mundum conditum, seu ab æterno: *Prov. 8, 22, 24.* Filius DEI est sapientia Dei *Luc. 7, 35. 1. Cor. 1, 30.* Ergo Filius DEI ante mundum conditum à DEO est genitus.

CXCIV.

De loco Mich. 5. Egressus ejus ab initio &c. Tertium locum adducimus ex *capit. 5. Mich. v. 2.* de quo etiam supra aliquid attigimus: ideò hic breviores erimus. Agit ibi Prophetas de majestate dominatoris in Israel, quam usque adeo extollit, ut eam extra sortem omnium creaturarum evehat. Nam retrò eam deducit in intimam usque æternitatem, quam vocabulis, *ab initio, & à diebus æternitatis,* describit, de quibus supra.

CXCV.

In illis diebus æternitatis, dicit, dominatorem Israelis non modò esse vel fuisse, sed *egressum esse,* digitum intendens ad æternam Filij generationem, in qua egressus ejus est à Patre, ut Ambrosius in hymno cecinit. Est autem *egredi ab aliquo* in scriptura, præsertim in Genesi Mosaica, frequentissimè idem ac *nasci,* ut constat ex locis *Genes. 15, 4.*
egre-

egredietur de utero: *Genes. 17, 6.* reges ex te egredientur, hoc est, nascuntur. *Genes. 25, 25, 26.* de nativitate Jacobi & Esavi usurpatur. *Gen. 38, 28.* seqq. de nativitate Phares & Zara filiorum Judæ, *Genes. 46, 26.* & *Exod. 1, 5.* de nativitate filiorum Jacobi. *Hebr. 7, 5.* de Israelitis usurpatur ab Abrahamo oriundis: à fratribus suis, licet egressis (ἐξ ἑλληλυπότας) ex lumbis Abrahæ. De generatione in communi usurpatur *Iob. 38, 29.* de cujus utero egressa est glacies? &c.

CXCVI.

Hunc egressum ab initio, distinguit Propheta ab egressu à Bethlehém, qui factus est in plenitudine temporis: unde colligimus geminam in Christo nativitatem, quam ob causam vocabulum Hebraicum *יְהוֹשֻׁעַ* in numero multitudinis ponitur, egressiones ab initio &c. quarum utraque temporalis esse non potuit: De eo enim nihil habet scriptura, quod Christus in tempore sit bis genitus: ergo necessario prior egressus de æternâ generatione intelligendus est: quod erat demonstrandum.

CXCVII.

Adducta sunt à veteribus & alia dicta ad probationem nostræ thesios, ut locus *Psalmi 72, 17.* ante Solem sobolescit nomen ejus, quo testimonio contra Judæos uritur *P. Galatinus lib. 4. de arcan. Cathol. veritat. capit. 4.* & *Psal. 110, 3.* ante luciferum genui te; quo loco *Euseb. libr. 1. histor. Ecclesiast. cap. 1.* & *Athanasius* in primis contra Arianos militat *orat. 4. Esa. 53, 8.* generationem ejus quis enarrabit? quo loco utitur *Irenæus* de generatione τῆς λόγῃ, lib. 2. cap. 48. Sed quia hæc dicta partim in fontibus aliter leguntur, partim aliàs nervum probationis solidè non constringere videntur: ideo urgere ea nolumus, contenti quod in ore horum duorum, imò trium testium, quos hæcenus audivimus, etiam hoc verbum veritatis de æterna filij Dei generatione consistit.

CXCVIII.

Jam qualis sit ista generatio Filij à Patre, & quomodo peracta, Qualis sit Filij exponendum esset: sed veremur, ne scrutantes majestatem DEI Dei generatio. opprimamur ab ea: sufficeret itaque, quod ex scripturis rem ipsam habemus, licet modum rei indicare non valeamus. Nam ut boni Grammatici, ita & boni Theologi est, in rebus divinis quædam ignorare.

G 2

Et

196 Et vix intelligimus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt quis vestigabit? Sap. 9, 16.

CXCIX.

Ut tamen Adversariorum Sophisticationibus, in quibus plerumque semper æquivocationibus ludunt, felicius & facilius occurratur, observanda duo sunt, quæ ad rem præsentem faciunt: primùm: Regula Theologorum est: *Quæcunque à Creaturis referuntur ad Deum, repurganda prius sunt ab omnibus imperfectionibus, ac tum demum id, quod perfectum est, DEO tribuendum.*

CC.

Deinde, generatio triplex est: Physica, Metaphysica, hyperphysica. Secundùm illam generantur corpora; secundùm istam Spiritus, qui non ex se, sed de se & in se gignunt; secundùm hanc Pater æternus ab æterno gignit filium, de se & in se in unitate essentiali. Illa per potentiam generantur: hæc & ista per naturam: qua de re vide Thomam prima prima quest. 27. artic. 2. mihi fol. 56.

CCI.

His cautionibus observatis, & generatio Filij quodammodo pro captu nostro intelligi, & pleraque adversariorum *avtimita* facile solvi possunt. Non enim hic est generatio physica vel humana; ideo nulla est in generante mutabilitas, nulla in genito dependentia à gignente ex indigentia: Neque est generatio temporalis, ubi locum habet prius & posterius.

CCII.

Sed est generatio divina, æterna, & planè ineffabilis, ubi eadem natura, quæ est ex se simpliciter independens, communicatur à Patre Filio tota & ab æterno, idque naturaliter & necessariò: unde solùm est relatio mutua inter Patrem & Filium, sine ulla dependentia in esse: & tantùm prioritas ordinis, non essentiali aut potestatis.

CCIII.

Idq; notanter significatur in Psalmo secundo. Nam quia generatio Filij perfecta est & omnibus numeris completa, ideo Deus (in quo nulla est imperfectio) genuisse dicitur filium, ubi tota essentia Patris communicata fuit filio; ita ut à Patre non auferretur, sed filio communis fieret. *Genuisse* etiam dicitur, *non generare*: quia nihil restat generationi filij addendum. Vicissim quia generatio est æterna, ideo

ideò *Hodie* facta legitur, ita ut filius Dei rectè semper natus dica¹⁹⁷
tur, quia apud DEUM nulla sunt *Ναήματα* temporū. Vide *Thomam*
prima prima quæst. 42. art. 2. p. 81. & August. in Psal. 2. Gregor. lib. 29.
moral. cap. 1. &c.

CCIV.

Concidit ergo geminum illud objectum Catecheseos Racko-
viensis pag. 37. & 65. 1. quasi per communicationem essentia mul- *Obiectio Ra-*
tiplicata fuerit essentia, ac proinde, quemadmodum tres personæ, *ckoviensium.*
ita tres essentia, statuendæ: 2. quasi Deus communicando
totam suam essentiam filio, ipse se privarit sua, & sic Deus esse desij-
set, quemadmodum isti homines impiè disputant.

CCV.

Sed enim, prior obiectio valet in humanis, ubi essentia finita
& materiata est. Ibi enim propter, concretionem materia, ex com-
municatione essentia multiplicationem ejusdem sequi necesse est:
aut in divinis nulla est ratio consequentia. Nam ibi essentia infinita
& omnis quantitatis expers est, quæ proinde absque multiplicatio-
ne sui in pluribus realiter distinctis personis esse potest, quemad-
modum DEUS propter infinitatem essentia sua in pluribus, quin
& infinitis locis totus esse potest.

CCVI.

Et hæc infinitas & simplicitas divina essentia prorsus enervat
hanc collectionem: *plures sunt personæ, ergo & plures essentia realiter di-*
stinctæ; quia unam numero essentiam infinitam, hoc est, Deum, in
pluribus personis realiter distinctis esse posse credimus. Quam ob
causam distinctæ personæ non dicuntur distincti Dei, *neq; tot sunt dij,*
quot sunt personæ, quia DEI vocabulum essentiam notat divinam, quæ
in pluribus personis tota est, quarum tamen nulla absolutè essentia
vocatur divina, si dextrè loqui velimus, quia essentia divina abso-
lutè sic dicta sunt omnes tres personæ simul sumtæ.

CCVII.

Hinc est illud Cyrilli lib. 12. thesauri cap. 13. Si Christus verus
DEUS est, *substantialiter*, non participatione hoc ipsum est, sicut cre-
aturæ. *Qui autem verus Deus, natura Deus est.* Quibus verbis non agit de
participatione essentiali, ita enim Filius DEI essentiam suam habet à
Patre, sed accidentali quemadmodum homines officij ratione dij
appellantur.

G 3

CCIIIX.

CCIIIX.

198 Adhuc clarius Gregor. Nissenus, in lib. *quod non putandum sit tres deos dici oportere*: ubi inter cætera sic scribit: *Quemadmodum non dicimus, tres vivificantes eos, qui unam vitam præstant, neq; tres bonos, qui in eadem bonitate considerantur, nec reliqua omnia pluraliter enunciamus: eodem modo, neq; tres deos nominare possumus eos, qui hanc divinam virtutem & actionem tum in verbis, tum in omni creatura conjunctim & non separatim per sese invicem exerunt, &c.*

CCIX.

Posterior objectio oritur ex vitioso intellectu vocis communicandi. Nam etiam in humanis communicatio non est rei ablatio & in communicante destructio, hoc enim non esset communicare sed penitus abdicare, sed ejus, quod in communicante est participatio. Quemadmodum enim, si magna licet componere parvis, homo gignendo Filium totam essentiam suam (licet non numero, specie tamen) communicat Filio, sine sui interitu: ita, & multo quidem magis, Pater æternus suam essentiam totam dedit Filio, non ut auferretur à Patre, sed ut Patri filioq; communis esset.

CCX.

Ex his, quæ hæcenus de æterna generatione Filij DEI disputata sunt, intelligi potest, quid sentiendum de nonnullis epithetis & Dei ex æterna titulis, qui filio DEI partim in scriptura, partim in communi Ecclesie usu tribui solent: de quibus pauca, antequam receptui canatur.

CCXI.

Primum itaque Scripturæ epitheton, quod filio DEI, ob æternam ejus à Patre generationem tribuitur, est, quod vocatur *Μονογενής* ὁ Θεοῦ πατρὸς, Unigenitus à Patre *Ioh. 1, 14, 18.* quia nimirum unicus ille DEI filius est, quem Pater ab æterno in unitate essentiæ suæ immediatè genuit, unde & proprius DEI filius appellatur *Rom. 8, 32.*

CCXII.

Excipit Socinus in *cap. 1. Iohan. & contr. Bellarm. cap. 5. class. 3. argum. 1. pag. 218. seqq. Osterod in Institut. cap. 6. §. 7.* Christum vocari unigenitum DEI Filium tribus de causis 1. quia à Spiritu Sancto fuit conceptus, adeoque singulari nativitate nobilitatus, 2. quia peculiaribus donis, præ cæteris hominibus ornatus. 3. quia deniq; Patri æterno singulariter dilectus, quo pacto Salomon Davidis, unigenitus vocatur, quamvis multos haberet filios, *Prov. 4, 3, & Isaac unigenitus Abrahami Gen. 22, 2, 12.*

CXIII.

Sed pueriles & inepræ hæ sunt expositiones hujus vocis. Prima *Responsiones*, enim ideo falsa est, quia filius non dicitur à matre gigni, sed nasci, ergo Christus hoc nomen non habet à temporali nativitate, in qua fuit ἀπ' αὐτῆς, ex matre natus, sed ab æterna, in qua fuit ἀπὸ πατρὸς à Patre genitus.

CCXIV.

Secunda & tertia expositio ludit metaphoricè significatione Unigeniti. Nam metaphoricè *unigenitus* dicitur filius, qui ob dotes aliquas præclaras imprimis est dilectus: idcirco in loco allegato Geneseos Isaac non vocatur in fontibus Unigenitus, sed *unicus*, unde & LXX. reddiderunt ἀγαπητὸν, respicientes ad Metaphoram. Sic Salomon in Proverbiis dicitur *unicus*, non inter filios, sed ut fontes habent, *ad facies matris sue*, hoc est, matri unice dilectus. Christus autem non metaphoricè dicitur Unigenitus, sed propriè; ideo additur, *Μονογενὴς ὡς ἀπὸ πατρὸς*, *Unigenitus à Patre*.

CCXV.

Quanquam & allegata exempla in conflictu cum Adversariis propriè interpretari possemus. Verè enim fuit Isaac Unigenitus Abrahami ex libera Sara, Ismael enim ex serva Agar conceptus & jam ejectus fuerat: Sic Salomon verè fuit unigenitus Davidis ex legitimo toro Bethsabæ, alter enim ex Bethsaba natus, in adulterio conceptus, & jam mortuus erat.

CCXVI.

Sufficiant autem hæc de voce Unigeniti. Cui responder altera *πρωτότοκος*. *Primogeniti*, quæ extat Col. 1, 15. ubi vocatur *πρωτότοκος* πρώτης κτίσεως. In Psalmo 89, 28. vocatur *יָחִיד* quæ vox (ut Hebræi annotant) Unigenito propriè sic dicto responder. Est autem in Paulo descriptio æternæ generationis Filij à Patre. Cum enim nulla adhuc creatura esset, ipse filius jam tum genitus erat. Ante creaturas autem mera fuit æternitas. Ergo ab æterno fuit genitus.

2. Primogeni-

CCXVII.

Regerit Socinus resp. 1. ad Volanum pag. 22. *Semper in literis sanctis, ut vocabuli ipsius aperta vis docet, is, qui primogenitus aliquorum dicitur, ex eodem genere & ipse est; ut eo loco (Col. 1.) idem sit primogenitus omnis creature, quod prima omnium creaturarum.* *Exceptiones hereticorum.*

CCXVIII:

Responsio.

CCXIX.

Sed 1. falsa est hypothesis hæretici: nam Christus secundum carnem vocatur etiam *πρωτότοκος*, primogenitus matris Luc. 2, 7. Matth. 1, 26. quin & primogenitus multorum fratrum Rom. 8, 29. cum tamen sui generis nullos habuerit fratres, quippe solus ex Beata Virgine genitus: sic vocatur Apoc. 1, 5. primus regum terræ, non tamen sequitur, Christum esse quoque regem terrenum: alibi appellatur Dominus Dominantium, nec tamen est ex genere dominorum vulgarium.

CCXIX.

2. Si maximè vox primogeniti nusquam in scriptura notet eum, qui diversi generis sit ab ijs, quorum dicitur primogenitus, sufficit tamen hic locus Apostoli, ubi de *πρωτότοκω* planè *ἐξαιρέτω καὶ μονοτροπῶ* agitur, cui creatio totius universi tribuitur: quæ nulli creaturarum, sed soli vero & æterno Deo adscribitur Esa. 44, 24: 45, 7. & c. Quo pacto etiam vox *λόγος* in dictis de Filio Dei novam significationem constituit: nusquam enim aliàs de essentiali Verbo intelligitur.

CCXX.

3. Denique ipsa vox è numero creaturarum Christum excludit: non enim *πρωτόκτισεις*, sed *πρωτότοκος* appellatur, non primò creatus, sed primogenitus creaturarum, qui nimirum non ex creatione temporali, sed ex generatione æternâ dominus sit creaturarum omnium.

CCXXI.

Agnoscamus itaq; hanc esse primariam rationem nominis Primogeniti, cum de Filio Dei apud Paulum usurpatur, quod ipse ante omnes creaturas ab æterno Patre sit genitus, quo sensu primus & novissimus appellatur Apocal. 1, 8. secundariò verò etiam est nomen dignitatis, quia ipse est creator & dominus omnium creaturarum, quo sensu principium omnis creaturæ vocatur Apoc. cap. 3, 14.

CCXXII.

3. Vnum cum Patre.

Ex hac generatione filij à Patre oritur utriusque unitas, de qua Salvator *Ioh. 10, v. 30.* Ego & Pater unum sumus; non *unus*, quia personæ sunt distinctæ, sed *unum*, unitate nimirum essentiali. Non enim ita Pater genuit filium, ut in humanis fit, ubi filius à Patre numericâ & individuali suâ essentiâ distinctus est, sed quia tota patris essen-

201.

essentia est in Filio, & Filij essentia in Patre, secundum illud, *Ego in Patre & Pater in me est* Johan. 14, 10. Ideò una eademque numero utriusque dicitur essentia.

CCXXIII.

Objiciunt Adversarij, locum Johan. 10. intelligendum esse de unitate voluntatis & potentiae in opere redemptionis, ut *Cateches. Rackoviensis* loquitur, pag. 125. Aliàs Christus ipse orat pro electis suis *Iohan. 17, 21.* ut omnes unum sint, *sicut tu Pater in me, & ego in te,* ut & ipsi in nobis unum sint. Sancti autem non per essentiam, sed *ὁμόνοιαν* seu voluntatis consensum cum DEO unum sunt; ergò & Christus cum Patre hoc & non alio pacto unum est.

*Exceptiones
Adversariorum.*

CCXXIV.

Sed glossæ huic contradicit ipse textus *Iohan. 10.* Nam & Judæi intelligebant, Christum non de *ὁμονοία* sed *ὁμοουσία* cum Patre loqui. Idcirco vocabant blasphemiam, quam juxta legem Mosis lapidibus vindicare volebant. Consentire verò cum DEO Patre non est blasphemiam, quia hoc etiam sanctis tribuitur, qui & voluntatem Patris passim in Scriptura facere jubentur. Idcirco ipsi Judæi definiunt, qualem intelligant blasphemiam; ob bonum opus, inquit, non lapidamus te, sed *ob blasphemiam, quia cum homo sis tu, facis te ipsum DEVM. 32.*

Responsio.

CCXXV.

Si intelligant Adversarij hanc unitatem Patris & Filij de unitate potentiae, nos exinde concludimus unitatem essentiae: quia potentia DEI nihil est aliud quam essentia divina, eamque adeò totam omnino communicavit pater Filio, ut quaecunque Pater agit, eadem similiter & filius operetur *Iohan. 5.*

CCXXVI.

Relinquitur ergo, locum *Iohan. 10.* de unitate essentiae accipiendum esse: neque obstat alter ille ex cap. 17. adductus, de *ὁμονοία* electorum: hic enim *κατ' ἀναλογίαν & τύπον* (ut Athanasius loquitur) intelligendus est, non quod ita unum esse possimus, sicut Pater naturaliter est in Filio, aut Filius est in Patre, sed pro nostrâ naturâ, & quatenus fieri potest, ut inde formulam similitudinemq; mutuemur.

H

CCXXVII.

CCXXVII.

Mos nim est divina Scriptura, inquit Athanas. orat. 4. contr. Arian. fol. 265. res naturales hominibus in similitudinem & exempla proponere: id autem facit, ut ex illis naturalibus motus hominum voluntarij manifestius appareant, eorumq; mores vel mali vel justi magis in conspicuo sint. In malis moribus exempli loco adducit illa: Ne sitis sicut equus & mulus Psal. 32. homo cum esset in honore, non intellexit, comparatus est jumentis nullo intellectu præditis. Psal. 49. &c. In bonis adducit illud Luc. 5. Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est: In quam sententiam plura ibi vide, quibus huic Hæreticorum objecto jam pridem non minus eleganter, quàm doctè respondit.

CCXXIX.

Restat una vox, quæ propter æternam generationem à Patre Filio DEI tribuitur, nimirum ὁμοῶσι, quæ quidem non est ἕνεκα; à Patribus tamen Concilij Niceni feliciter usurpata, & postmodum in universâ Ecclesiâ orthodoxâ frequentata, ut fraudibus Arianorum faciliùs iretur obviam; qua de re legatur Athanasius, inter Patres Nicenos non postremus, in Narratione de decretis ejusdem Synodi tom. 1. fol. 416. seqq. & Refutat hypocris. Meletij Eusebij & Pauli Samosatensis tom. 1. fol. 447.

CCXXX.

Habet autem hæc vox fundamentum suum in ijs scripturæ dictis, quibus Pater & Filius unum, & Pater in Filio, Filius in Patre esse dicitur: eoq; confidentius à S. Patribus usurpata fuit, partim quod viderent, etiam Arianos, ad significandam diversitatem essentia Patris & Filij, voce ἕνεκα uti, quæ tamen neque scripturæ est, neque in ea fundamentum habet; partim quod ante Concilium Nicenum jam ab orthodoxis patribus usitata fuerat, ut probat Athanasius in Narration. de decretis Synodi Nicenæ fol. 420. 421. partim etiam, quod viderent, hanc vocem adversarijs esse formidini, idcirco eâ, tanquam evaginato gladio ipsorum nefandæ caput hæreseos amputare voluerunt, dicente Ambrosio libr. 3. de fide. capit. 7. tom. 2.

CCXXXI.

Refutat autem hæc vox & Sabellium & Arium, duos contrarios hæreticos, Sabellius fatebatur Patrem & Filium habere eandem

dem essentiam, sed negabat, unum esse ab alio. Arius fatebatur, ^{203.}
Filiū esse à Patre, sed negabat eandem accepisse essentiam. Utri-
que hæreticorum rectè opponitur vox ὁμοῦσι, quæ non dicitur
de ijs, quæ quomodocunq; similem habent essentiam, sed de ijs
tantum, quorum unum est ab altero, & ab illo recipit eandem
essentiam, docente Athanas. in lib. de Synod. Arimin. & Seleuc. fol. 697. seqq.

CCXXXII.

Ita vox hæc à trecentis octodecim patribus bono consilio re-
cepta, & hætenus in Ecclesijs nostris libenter usurpata, nequaquam
autem à Beato Lutero rejecta fuit, de quo calumniantur Pontificij,
quod scripserit, *anima mea odit vocabulum homouision*: qua de re satis acer-
bas scripserunt invectivas, Bellar. præfat. in controv. 2. & Gregor. de Va-
lencia lib. 1. de Vnit. & Trin. secundum se, cap. 7.

CCXXXIII.

Injuriam autem faciunt Lutero, qui, cum in lib. contra Lato-
mum tom. 2. Ien. lat. fol. 407. de vitandis prophanorum vocum novi-
tatibus ex Paulo monuisset, tandem addidit: *Si odit anima mea vocem*
homouision, & nolim ea uti, non ero hæreticus. Quis enim me coget, modo rem tene-
am, quæ in concilio (Niceno) per scripturas definita est?

CCXXXIV.

Quod ergo Lutherus hypotheticè scripsit, calumniatores illi
in sensum simplicem contorquent, candore prorsus Jesuitico. Aliàs
quàm honorificè de hac voce loquatur Lutherus noster, videatur li-
ber ejus de Concil. & Ecclesia tom. 7. Ien. germ. fol. 243. b. ubi usum ὁμοῦ-
σι contra Aarianos satis seriò defendit.

CCXXXV.

Quod autem ipsa vox ἀρεῶσι, salvâ pietate, repudiari pos-
sit, si abusus accedat, constat ex actis concilij cujusdam Antiocheni,
ubi octoginta Episcopi (ut Hilar. numerat) vocem istam respue-
runt, contra Paulum Samosatenum, qui Filium dicebat Patri ὁμοῦσι-
ον tantum secundum speciem, non secundum numerum. Vide A-
thanas. de syn. Arim. & Seleuc. fol. 706. & Hilarium de Synodis fol. 243.

CCXXXVI.

Cætera, quæ de hac voce annotari possent, lubens prætereo,
& huic Tractationi finem impono: suppliciter venerans verum &
æternum DEI Filium consubstantialem Patri æterno, Dominum

nostrum JESUM CHRISTUM, ut ipse potenti suâ dextera omnibus hostium suorum furoribus resistat, honorem suum Ipse per nos, quamvis indignos, adserat, & hanc veritatis cœlestis assertionem ad posteros intemeratam propaget, ad nominis sui divini gloriam & Ecclesiæ suæ salutarem inter nos ædificationem.

Huic Æterno DEI Filio, cum Patre æterno, in unitate coæterni Spiritus Sancti, Uni vero Deo, sit honor & gloria in secula Amen.



Aug VI 46(1)

ULB Halle 3
003 143 333





82

Reha

US 17







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

145

ae doctrinae

DEITA.

NI NOSTRI

HRISTI,

nianorum blasphem-

posita.

ORDINARIÆ

lius DEI, de cuius gloria

lemia VVITTEBER-

cè proposita.

P RÆ S I D E

BALDUINO

c Professore, Ecclesiæ

ac Superintendente;

D E N T E

MULLERO,

ergensi.

ris & loco solitis.

an. Gormanni, An. 1613.

